TEXTUS LATINUS

ERNALDUS ABBAS BONAEVALLIS

*Arnaud de Bonneval*

# DE CARDINALIBUS OPERIBUS CHRISTI

*Usque ad ascensum eius ad Patrem*

PATROLOGIA LATINA

Tomus CLXXXIX | Columnae 1609-1678

*Ex editione J.-P. Migne, 1854*

# ERNALDI ABBATIS

## LIBER

# DE CARDINALIBUS OPERIBUS CHRISTI

### USQUE AD ASCENSUM EJUS AD PATREM

## AD ADRIANUM IV PONTIFICEM MAXIMUM.

(*Opp. S. Cypriani* ex edit. Nicolai Rigaltii, p. 393. — Paris., 1648, fol.)

### PROLOGUS

Solent matres infantulis nuper editis in ipso vitæ introitu aptare vocabula, et ex aliquibus præcedentibus vel circumstantibus causis, vel ex genere, vel ex eventibus imponere nomina; ut in ipsis primordialibus initiis quædam præfigerentur commonitoria ingredientibus vitam, ne nomen eis esset ad ignominiam, si originalis naturæ traductio a consueto limite deviaret, et a virtute patrum degenerans indigna successio monstri, non hominis, faciem exhiberet; respicerent potius ad nomina vel officia sua, quorum inspectio honestæ conversationis formam eis infunderet et doctrinam, ut honorificarent naturales causas et rationales disciplinas, nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines, vel primarias offenderent dignitates. Nam olim tumultuarie vel inconsiderate nomina rebus imponebantur; sed ex quo ad Adam adducta sunt singula, ut vocaret ea et propria imponeret nomina (*Gen.* II), provisum est in populo antiquo et institutum ut aliqua esset in vocabulis ratio, et interpretarentur nomina vitam, et exprimerent aliquam personæ proprietatem secundum quam vel differret a cæteris, vel etiam communicaret. Sic in nominibus patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob magnarum rerum exstitere indicia, et præloquebantur ventura, nec deerat impositorum nominum secundum sensum suorum effectuum certitudo. Apud gentiles etiam non in nominibus, sed in agnominibus postea a viris illustribus observatum, ut nobilitas generis vel virtutis gloria posteros illustraret, Augusti vel Cæsaris titulo succedentem honorare progeniem, et imperatoriæ dignitatis hæredes primæ originis irradiare fulgoribus. Sic et philosophi et doctores antiqui tractatibus suis nomina prætexere, brevi titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes et propriæ gloriæ præposito nomine suo providentes, ut integritatem operis et laborem auctoris tam styli quam personæ in posterum auctoritatis conservaret et facile scripturæ subtilitas indicaret si aliqua manus invida elegantiæ tractatuum elimatorum pannum rudem insueret, vel nugis suis, quasi sua essent quæ alius laudabiliter dictasset, furtiva translatione insereret. Sic in capite libri sui quisque auctorem se posuit, ut et stylus auctori, et stylo auctor famularetur, et auctoritate altrinseca communis gloria muniretur. Hoc virorum illustrium præclara meruerunt ingenia, et per hæc vivax eorum fama et gloria indelebilis perseverat. Nos vero qui vix intelligimus quæ ab eis dicta sunt, sensu et eloquentia omnino eis impares, si quid aliquando scribimus, indignum titulo judicamus, ne forte nobilis materia, cujus explanationi studium adhibemus, decoloratam se potius quam ornatam nostra præsumptione quæratur. Verum quia solent aliquando patres nugis infantilibus arridere et linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humilitas, quæ quo potest accessu sublimitatis vestræ manibus se porrigit attrectandam, non gloriam mendicans, sed gratiam. Ego quidem nec a meipso, neque ab alio quæro nomen; neque enim aliquid me existimo esse, cum nihil sim, qui hoc a vobis maxima supplicatione quæsivi ut non essem quod sum, et humiliter supplicavi ut ab hac flamma in qua crucior me vestra clementia liberaret. Tentavi si possem, manu vestra me sustinente, honeste descendere: quod quia non potui urgentibus flammis, non attendi quo prosilirem, dum me vorax incendium non cremaret. Sublimes materiæ subtilium ingeniorum exigunt tractatores; nec facile de artibus recte judicat qui artes ignorat. Exercitati in liberalibus disciplinis, simul ingenio conveniente et studio, philosophari possunt et secure aggredi res abditas; eorumque conatibus se perviam penetrata exhibet difficultas, et ænigmatibus enodatis rerum secretarum facies patet, cujus serenitatem velabat nubes opposita, et veritati superfusa caligo. Ideoque tam in divinis quam in philosophorum doctrinis, nec tutum est nec honestum ineruditos et ignaros sensuum ad litteras illas pertinentium prosilire ad discussionem eorum quæ nesciunt, et de his sibi usurpare magisterium quæ ignorant



Digitized by Google

Hujus rei forma seraphim faciem Dei, et pedes velat (*Isa.* VI); et petentibus quæ in medio sunt, principium finemque majestatis divinæ alarum extensio, infra supraque operiens, aditum ad se temerariis tractatoribus vel scriptoribus interdicit; nec patitur ad liquidum se videri Divinitas, quam utique investigatio fidelis aliquo modo odorat vel sentit, sed puram ejus essentiam nec conspicit nec comprehendit. Affirmatio quippe de Dei essentia in promptu haberi non potest; neque enim diffinibilis est Divinitas, sed verius sinceriusque remotio indicat negando quid non sit quam asserendo quid sit, quoniam quidquid sensui subjacet, illud esse non potest quod omnem superat intellectum. Quidquid audiri vel videri vel sciri potest, non convenit majestati : hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, et caligat aspectus. Hanc invisibilem lucem, et inaccessibilem naturam sex aliis hinc et inde seraphim statu et volatu circumeunt et abscondunt (*ibid.*); statu æternitatis immobilitatem monstrantes, volatu vero altitudinem ejus, sic in superioribus elevatam, ut quantumlibet ad cor altum homo ascendat [accedat], exaltetur Deus (*Psal.* LXIII), et comprehensionis importunitatem evadat. Nec tamen alæ illæ quæ Dei velant substantiam nostros conspectus diffugiunt, sed illæ puris mentibus se visibiles exhibent, et operum Dei ratio, sive eorum quæ ex nihilo sunt, sive eorum quæ ex materia vel factæ sunt vel fiunt, se intelligibilem exponit; et quæ circa Deum et quæ sub Deo sunt mundi potest cordis quoquomodo sinceritas contemplari. Prima rerum conditio sex instituta diebus fatetur artificem, et profitetur opus auctorem. Neque enim sui ipsius artifex esse, aut potuit quis novam creare materiam, nec potuerunt multa et diversa rerum esse principia, quia, nisi ad unum cuncta respicerent, discordia et infinitate cuncta turbata volverentur in chaos; et repugnarent et colliderentur in se discordes materiæ, nisi omnibus factoris auctoritas imperaret, et unius monarchia potestatis universitatis causas et efficientias ordinaret.

Homo itaque præpositurarum inferiora accepit, sscien quis hunc honorem contulerit; nec tamen ea scientiæ perfectione illustratus est, ut eo modo cognosceret Conditorem, quo ejus cognitioni reliquæ creaturæ subjectæ sunt; sed distantiam maximam experiretur inter summa et infima; et ex hoc ipso esset Deo acclivis et humilis, quo auctori suo se in nullo posset conferre, cujus effugere dominium nec penetrare consilium, nec poterat vitare judicium. Itaque qui circa ipsum sunt angelici spiritus, licet invisibilis naturæ sint, in legationibus tamen suis se auditu manifestant et visu, et salutis nostræ ministeriales sæpissime experimur, quorum officia et nomina in Scripturis sanctis habentur. Illa quidem superiora agmina nobis prædicant, non indicant Deum; et nuntiant quæ jubentur, spiritalitatem injuncti negotii peragentes, non universitatis explicantes scientiam, quia ad nos numerus et mensura et pondus refertur. Deus vero his omnibus non arctatur; sed excedens omnia et æternaliter antecedens potestas et virtus nil habet coævum, nec immensitatis ejus profundum ulla creatura vel cœlestis vel terrena metitur. Quæ vero sub ipso sunt implent templum et præsens Ecclesia cognitionem earum rerum assequitur, quæ ad cultum justitiæ, quæ ad ordinem vitæ, quæ ad gradus ascensionum, quæ ad convenientiam morum, quæ ad honestatem hujus conversationis et gratiam pertinent contemplationis : hæc aguntur et exercentur in templo præsenti et per hæc Deus quæritur, nec tamen quæsitus illico invenitur. Gustamus, delibamus, odoramus, et prope est; cumque accesseris, longius abit. Et quomodo fulgur nubes disrumpit, et repentina coruscatio non tam illuminat quam hebetat oculum, ita aliquando nescio quomodo tu tangeris, et tangi te sentis; eum tamen qui te tangit non intueris. Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinsecus quæ efferri non sufficis, ut dubitare non possis, quia juxta te est, imo intra te qui te sollicitat, nec tamen sicuti est se tibi videndum concedat. Rachel ad odorem, non ad esum, Liæ mandragoras concupiscit; tu sponso fide, non complexu conjungeris; tu spe concipis, donec Christus in te formetur, et, deposito pondere hujus cadaveris, ejusdem sint puritatis caro et spiritus, et renovata natura sobolem immaculatam parturiat. Rachel quippe *visum principium* sonat. Quod Verbum in principio apud Deum in suo proprio esse (*Joan.* I) mihi non patet, sed quibusdam nominibus Deum invoco et dico, Justitia, Veritas, Sanctificatio, Charitas; et quæro aliquas species vel formas, et per quas quid sentio quoquomodo intimem. Nam quod Verbum caro factum est (*ibid.*), facilius video, si hoc sensui meo quasi esu incorporo; principium autem illud vix remotissimo odoratu quasi pertransiens sentio. Illa quidem intellectualia per visibiles creaturas, quantum fas est animæ videre vel prævidere, divina mente a longe prospicimus; in multis per opinionum et conjecturarum pelagus circumducti, in multis veritati hærentes, in multis magnitudine rerum oppressi, exclamamus cum Apostolo *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* (Rom XI.) Cordi igitur nostro se offert Deus, et aliqui sui luminis infundit invitans et provocans. Nis enim aliquo modo sentiretur, nec appetendi, ne inquirendi spes esset aliqua vel facultas. Sed qui ex parte sentitur, admirationi est odor ille et sapo nullam habens cum carnalibus dulcedinibus simil tudinem, et per omnia suavitate differens; eoq desideratur copiosius, quo cætera delectamenta e cedit. Desiderium autem inquirentes purificat, purificatio, exclusis enormitatibus, ad formam D provehit ascendentes, atque ita in opere suo ima et similitudo Dei multis laboriosisque provectib propriam sibi demum indicat dignitatem.

Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, u incarnati Verbi magisterium accessisset, huma defecissent ingenia : et nescio si et aliqui auder

Digitized by Google

ad hæc tentanda conatus assurgere; sed associata carni divinitas assumptam naturam ex parte suæ voluit esse claritatis consortem, et apertis cœlis super doctorem et Dominum nostrum ad superiora nostrum introduxere aspectum, et vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre (*Joan.* I), et de plenitudine gratiæ et veritatis quæ in ipso est, instillata est nobis aliqua portio (*ibid.*). Et cum Philippo audivimus: *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). Nec tamen in hac visione plena potest esse sufficientia, donec in splendoribus sanctorum in die virtutis suæ (*Psal.* CIX) agnoscatur ratio gignentis et geniti et procedentis, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ad liquidum hucusque ascendit (*I Cor.* II). In his omnibus quæ dicta sunt omnino sensum nostrum materiæ excedit sublimitas, et stylum repellit moles nimii ponderis, et ascensionis arduæ difficultas; sed præcepti vestri, Pater excellentissime, me coegit necessitas, ut tentarem, si forte importunitate studii aliqua possem de sanctuarii supellectile vellicare, et reducto in partem velamine arcto subtilique aditu propitiatorium intueri. Præsumpsit meditatio aspicere a longe, et annos æternos inquirere, et quid ante tempora sæcularia esset indagare, si tamen sæculum vel tempus dici potest ante lucem et diem et solem, et quomodo ante causas elementarias et materiales origines illa æternitatis infinitas se haberet, si illa omnipotentia apud se solitaria esset, et ministeriales ei deessent spiritus, et maneret apud se illocaliter sempiterna Divinitas, et in quo esset sapientiæ regnum, cum non esset quod regeretur, et usu specieque careret illa inanis antiquitas. Ab his omnibus repulsus, ad sæcularia visibilia compulsus sum redire. Et utinam me ipsum cognoscam et sciam! Quod si animæ meæ, quæ corporis mei obtinet principatum, nec originem scio, nec metior quantitatem, nec qualis sit intueri sufficio, si ignota est mihi ratio quare ipsa delectetur in corpore persecutore suo; si nescio quis hanc legem membris insculpserit, ut tam violenta dominatione spiritum opprimat, et melior digniorque natura deteriori succumbat, patienter me ferre oportet si operatorem universitatis non intelligo, qui in minimis operationum suarum particulis meam profiteor cæcitatem. Insolubilis videtur hæc quæstio, quare homo rationabilis in negata nitatur et vetita, et semper illicitis delectetur. Omnino rarum est et difficile fieri bonum, facile et pronum est esse malum; et hac sine magistro, sine exemplo doctrina statim a pubescentibus annis imbuimur et docemur. Vide in ipsis qui sanctimoniam profitentur, quæ religio manum claudat porrectis muneribus, quæ solitudo aures obserat oblatis favoribus, quæ gula communibus est contenta saporibus. Quis non se habeat vilem, si videat humilem? Quis non putet opprobrium, si se sentit inglorium? Quis enumeret voluptatum potius monstra quam species, quæ per concupiscentias carnis A invitam animam trahunt clam palamque de conclavi ad forum, de lupanari ad theatrum? In primis abrasa verecundia pudoreque convulso non absconditur scelus, nec nutat ratio, nec discretio reluctatur carnis affectibus; captivus spiritus consentaneam exhibet clientelam.

Hoc ipsum quod dico, carnis affectus improprie dico, quia hæc vitia propriæ animæ sunt, quæ sentit et movet et vivit: cui imputatur peccatum, quia ipsi datum est arbitrium, et judicium, et scientia, et potentia, per quæ possit improbare malum et eligere bonum. Corpore autem sic utitur anima, sicut faber malleo vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, et fabricantur quælibet quarumcunque voluptatum simulacra. Non est caro B dictatrix peccati, nec inventrix malitiæ, nec cogitatus format, nec disponit agenda, sed officina est spiritus, qui in ea et per eam quæcunque affectaverit peragit et consummat. Quod autem ipsa insensibilis sit, spiritu recedente dignoscitur: post cujus discessum nulli apta usui superest putredinis massa et paludis acervus. Quidquid enim sentit a natura corporis alienum probatur. Quod vero caro adversus spiritum et spiritus adversus carnem contendere dicitur et repugnare (*Gal.* V), improprie arbitror dictum, quia solius animæ lis ista est quæ secum rixatur et cum proprio arbitrio litigat, certios in hujusmodi quæstionibus quid bonum sit, quid malum, quam in aliarum rerum inquisitionibus quid C verum sit, quid falsum. Nam in abditarum causarum inspectionibus et secretis naturæ potest homo errare vel decipi, quia non per omnia a fine usque ad finem intellectus humanus attingit; sed in his quæ oculis et manibus subjacent, nulla subtilitas judicium impedit, quia tetentia a non tetentibus, decora a turpibus, amara a dulcibus, dura a suavibus, et a dissonis consonantia facile discernuntur. Sed desiderii sui veneno mens ebria corpus contumeliis applicat, et junctis complexibus ambo in mortiferas suavitates elapsi obdormiunt. Cumque evigilaverint, sero pœnitentiam adducit confusio, et inquinamentorum horror fœdatæ menti occurrit. Et in cæteris omnibus quæ maligne patrata sunt, hujusmodi ultio peccatorem persequitur, et ipse libidinum labe crapulatus se convomit. Sed avaritiæ D solius et quæstus ardor nec satiat cupidum, nec pœnitet eum cumulasse quod crescere optat, non minui; et discola obstinatus semper quid idolo suo immolet, sedulus coacervat. Unde hæc sitis divitiarum miseris pectoribus assidet, et ambitionis salsugo bibulam animam occupat, ut per fas et nefas ad loca superiora etiam de latebris eremi nonnulli se ingerant, et de omni gradu ubi aliquis aditus patet anheli prodeant, discurrant ad judices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, et modis omnibus elaborent, ut sedeant cum principibus eo quæstu, ut maledicat Deus quod ipsi benedixerint, et benedicat quod maledixerint. Hæc lex peccati quare, in his et similibus.

Digitized by Google

legem justitiæ opprimat, et quare enervata ratio, cum stare possit, tam miserabiliter ruat difficile est assequi, maxime cum defectus iste a damnationis sententia pendeat, et hanc inevitabilem pœnam antiqua transgressio sit sortita. Ergo si me ipsum nescio, si animæ meæ substantiam et naturam ignoro, si eorum quæ intra me sunt rationem non intelligo, qua audacia supra me erigam oculos, ut videam principium sine principio, et finem sine fine attingam? A talibus ausibus desistendum excellentia majestatis imperat, et ipsa impossibilitas omnes ingenii nostri conatus repellit. Ea igitur quæ licita sunt et concessa tangamus, et circa cunabula Salvatoris prima infantiæ ejus fercula degustemus, et circumcisi et loti, victo diabolo, sanctitatis affectibus in cœna cum Domino recumbamus, ubi pane angelorum refecti post illius cibi delicias surgamus ad transitum, ut de hoc mundo vehiculo crucis evehamur ad cœlum, Spiritu sancto nos replente, ut qui deinceps nos devehat, et patefaciat quidquid in exsilii hujus peregrinatione moles corporis et imperfectionis lippitudo fecit obscurum. Librum igitur quem de cardinalibus Christi Domini nostri operibus scripsi, paternitati vestræ, suppresso nomine nostro, misi, in quo fons sacramentorum et disciplinæ hujus in qua stamus origo, formam et exemplar recte vivendi nobis proponens, ab humili adventu usque ad gloriosum ejus reditum ad Patrem gradatim conscendit: quem potius in mente nostra quam in pagina scribi desidero; et utinam in sanctitatis vestræ conspectu memoriam et recordationem nostri supplex mereatur affectus!

## I.

### DE NATIVITATE CHRISTI.

Adest Christi multum desiderata et diu exspectata Nativitas, adest solemnitas inclyta; et in præsentia Salvatoris grates et laudes visitatori suo per orbem terrarum sancta reddit Ecclesia. Gaudia nobis cœlitus nuntiantur, lætitia imperatur. Nox ista sacri partus conscia, novis fulgoribus illustratur. Gloriantur in cœlestibus superi, pax in terra bonæ voluntatis hominibus confirmatur. Adsunt angeli, loquuntur pastoribus; non dedignantur loqui personis humilibus, et cum ipsi sublimes sint, infimos non aspernantur. Nec luce insolita, nec angelorum terrentur pastores præsentia; sanæ et puræ fidei homines delectantur in eo quod audiunt consonas laudantium voces cœlestes, gloriæ et gratiæ divinæ præconia modulantes. Nec satis fuit superius arcana reserare cœlestia; etiam hominibus pax reddita nuntiatur, et bonæ voluntatis novi muneris largitate consecratur affectus. Oportuit bonum Dominum certificare et lætificare in adventu suo bonas exspectantium voluntates, et multiplicatis testibus certa præsentiæ suæ dare indicia, ut jam non exspectaretur quasi venturus, sed qui venerat, videretur; et essent angeli quem sibi nova Christi infantia consecrarat, sancti ortus et loci indices. Unus Gabriel Virgini obumbrationem virtutis Altissimi nuntiat; multitudo cœlestis exercitus gratulabunda Salvatorem mundi prædicat advenisse, et reconciliata terrestria superis canit; et consilium antiquum prodiit palam, nec jam secretum est, sed innotuit publice in conspectu gentium revelata Christi benignitas, et oblata mundo in nullo a nobis differens, excepto quod peccati expers fuit Salvatoris humanitas. A supernis legationibus incipit Evangelium, cujus primi dictatores angeli exstiterunt. Nec jam in manibus prophetarum similitudines et ænigmata involvuntur, sed angelorum jubilo, et hominum stylo et evidenti rerum indicio constant et consonant simul promissa et data, umbrisque remotis, lex et Evangelia sunt unita. Multiplicantur testes, militia cœlestis conclamat, credit pastorum cuneus et exsultat. A sapientibus et prudentibus non quærit testimonium qui parvulis se revelat. In hujus doctrinæ initio statim fastus et ambitio condemnatur. Non colores rhetorum, non inductiones persuasoriæ adducuntur: ratio et miracula harum rerum ordinem complectuntur. In primis signa se fidei miscuerunt; et maxima in hoc efficacia dogmatum fuit, cum simul verbis et rebus actum est ut nullum infidelium repugnantia inveniret diffugium. Nox illa omni luce clarior; sermones angelici pacem hominibus nuntiantes, designato loco Bethlehem, ad quærendum puerum cohortantur. Pastores illi, amplius mente quam oculis carnalibes illuminati, ad conspiciendum Emmanuel festinant; et edocti intus invisibili magisterio Spiritus sancti, quem parvulum vident, confitentur immensum, et piæ ei devotionis affectum præsentant. Electa adest humilium personarum simplicitas, ut poneretur regula et indissolubilis daretur forma, quod non nisi pauperibus spiritu Christi pateret humilitas, nec superbos ad intuitum sui posset admittere Veritas. Veniunt in Bethlehem; quem prædixit Gabriel, invenitur Emmanuel; civitas parva, domus paupercula, supellex exigua. Nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in feno, filius in præsepio.

Tale elegit fabricator mundi hospitium, hujusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur, genitrix est et obstetrix, et devotam dilectæ soboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio; nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis et inops mensa excludit. Nullum domus arcta diversorium occultabat, nec secreti recessus erant illius casulæ; incrustaturam tectum et soli parietes per circuitum vestiebant. Nec locus ibi erat lavacris quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ injuria matrem Domini læserat, quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate; et tamen con-

Digitized by Google

suetudinem sequens ut legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, et depositi oneris lassitudinem professa oblatæ quieti paruit, et in diebus separationis non se a toro Joseph, qui eam nunquam tetigit, sed ab ingressu templi et cæteris quæ lex prohibebat, continuit. Ultro maturus ab arbore bajula fructus elapsus est : nec oportuit vellicari quod sponte prodibat. Nihil in hac re petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum usuram. Spiritu sancto obumbrante incendium originale exstinctum est ; ideoque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Eratque ei proprium privilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul mater et virgo, singulis titulis insignita. Unde et matri plenitudo gratiæ debebatur, et virgini abundantior gloria ; quæ carnis et mentis integritate insignis, spiritali et corporali intus et extra Christi præsentia fruebatur. Ornamenta quæ deerant, etiamsi adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia parvuli, sic eorum qui aderant, Joseph, et si quis forte alius ibi erat, oculos occuparat, sic illuminaverat animos, sic corda illexerat, ut in hoc summo bono omnium bonorum unita collectio videretur, nec opus esset evagari et mendicari per partes, quod simul in se uno fidelibus omnipotens infantia præsentabat. Angelica sane non est credendum ministeria defuisse, nec recesserat a venerabili pectore matris Spiritus sanctus ad verbum Gabrielis elapsus. Possidebat domum suam, et templum quod sibi consecraverat adornabat. Servabat sacrarium suum et sanctimoniæ thalamum honorabat ; lætificabant consolationes hujusmodi animam benedictam, et tanti habitatoris reverentia concupiscentiarum ludibria abigebat ; legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla quem spiritus affligebat. Parvulus sugens ubera pura alimonia utebatur, et fons sacri pectoris defæcatum edulium ori mundissimo infundebat. Sed et cor matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant : eratque utrinque mira jucunditas, cum pia sanctæ matris et devota humilitas, et Sancti sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergerentur.

Extrinsecus nuda erant et egena quæ videbantur, nihil in illa paupertate videbatur divinum, nisi his quibus revelatum est desuper ; quorum primi fuere supra memorati pastores, quorum innocentia et simplicitas electa est, ut laus Christi perficeretur, quin piscatores et pastores sequentibus temporibus confunderent oratores, et à pauperibus et humilibus prædicatio paupertatis haberet initium. Exsecrari solent Ægyptii hoc hominum genus et abominabiles eis sunt oves et pecora. Sed hujusmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit : et Abel pastor munera de gregibus ovium oblulit, quæ in eo quod cœlitus inflammari visa sunt, quod grata essent Deo cunctis innotuit. Pastores Abraham, Isaac et Jacob viri Deo familiares ; pastores patriarchæ duodecim ; pastor ipse Moyses, qui in eremi recessu, dum sequitur pecudes, in rubo conspicit Deum, et potestate signorum collata, populi recipit principatum. Eliseus de aratro propheta constituitur ; David de post fetantes accipitur, et in regni solio collocatur. Agnum quem abominatur Ægyptius, sacrificari sibi præcipit Deus, ejusque sanguinis Israelitarum postibus illitus exterminatorem angelum repellit et abigit ; nec timetur mortis periculum, ubi tantæ reverentiæ conspicitur signum. Ad umbram Petri languentes consurgunt ; apostolis subjiciuntur dæmonia ; cedit idiotis reproborum eloquentia ; prædicante Paulo, captivas complicant manus gentes et regna. Pauperes electi, superbi neglecti : nec fastus, nec altus circa Christi discipulatum aliquem obtinent locum : Christus pauper discipulos divites aspernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his qui in forma hujus scholæ in Ecclesia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabulis adoravere pastores ; et parvulum confitentes, Deum simpliciter argumentosi in spiritu et veritate, quem adoraverunt, noverunt. Fuerat quidem miraculum, quod apertis cœlis, lux fulgoris insoliti nocte super eos fulserat, quod auditi angeli et conspecti, quod ab ipsis fuerant edocti et instructi pastores. Sed licet hæc præcessissent, tamen circa infantiam pueri divinitatis intimatæ nulla humana ratio præbebat experimentum, nec circa illius præsepii angustias, vagiente inter alligaturas infantulo, aliquod majestatis erat indicium, sed auditui fides obtemperans, nullum apud Deum impossibile verbum credidit ; et per Spiritum sanctum ad sacramentum hoc intelligendum subtilissimis est intelligentiarum accessibus introducta. Idemque Spiritus qui longe ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus se infundens, dilatabat humani intellectus angustias et aperiebat interiores oculos, ut viderentur invisibilia, intelligerentur ea ad quæ humanus non attingit sensus, nec rationis penetrat intellectus. Hinc est quod prædixerat Isaia : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isa.* IX). Hoc potuit videri, huc nullum fides meritum quærit. Quod autem sequitur : *Vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII), *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* (*Isa.* IX), si clausi sint oculi mentis, exterioribus oculis nescio quid mereris. Qui necdum loquitur, quomodo consiliarius erit ? parvulus quomodo creditur omnipotens Deus ? omnino infirmus, in quo videbitur fortis ? nihil omnino possidens, ad apicem regni et principatus fastigium quibus ascensionibus attinget ? Sed si fidei mysterium prosequaris, in his omnibus subtilissimas et purissimas rationes invenies, et quod omnino necesse fuit immensum fieri parvulum et Filium Dei hominis filium evidenter agnoces.

Digitized by Google

Mirabitur etiam et dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundissimum sacramentum in eo quod contemptibilis factus est admirabilis, et qui litteras non didicit, nec legibus instructus est, sufficiens sit divinarum humanarumque rerum consiliarius; quomodo divinitas et humanitas in unam personam convenerunt, et ubi æstimata est infirmitas, fortitudo inventa est; et corpus humilitatis nostræ divinæ claritati configuratum (*Philipp.* III), non in hoc mundo, sed in cœlesti gloria perpetuum habeat principatum. Ad parvulos venit Christus, et cum parvulis conservatur, pauperes instruit et creat et facit. Ipse in Synagoga Judæorum in Isaiæ volumine cum legisset in Sabbato, complicato libro prophetiam hanc in se completam edocuit, quod à Spiritu sancto unctus sit, et ad evangelizandum pauperibus Pater eum miserit (*Luc.* IV). Item in Evangelio gloriatur, confitetur Domino cœli et terræ, gratias agens, quod revelata sunt divina mysteria parvulis (*Luc.* X), a quorum intellectu sublimitas hujus mundi repulsa est; quæ Deo subjici non potest, dum secundum carnem et sanguinem invisibile ipsius suis regulis investigat.

Hic est primus religionis introitus, sicut in mundum primus Christi ingressus; ut quicunque pie vult vivere, humiliter de se sentiat, neque supra se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas, nec in cœlo stare potuit superba sublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster parvulus attulit; et a cunabulis nos sibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in persona. Quia vero filii Dei sumus, humanitatis participatione frater noster fieri voluit, ut essemus secum beatitudinis cohæredes, et haberet tota compositio hominis perfectam plenamque lætitiam, cum spiritus divinam repræsentaret imaginem, et caro nostra Christi corporis similitudinem; consummatæ societatis beneficium obtineremus, cum nominis Christi et hæreditatis consortes, et divinæ naturæ communicamus per spiritum, et humanæ per corpus. Juravit Dominus et non pœnitebit eum (*Psal.* CIX); et promissionum suarum non immemor, sicut se daturum nobis juraverat, sic complevit. Filius datus est nobis (*Isa.* IX), qui, cum in forma Dei esset (*Philipp.* II), splendor gloriæ et figura substantiæ ejus (*Hebr.* I), non est confusus se ad formam servi exinanire (*Philipp.* II), ut qui de fraternitate ejus gloriantur et volunt ascendere, non erubescant descendere; sed eidem scalæ cum Jacob innitantur (*Gen.* XXVIII), et cantantes Canticum graduum ab imis ad superiora conscendant. O Domine, quam admirabile est nomen tuum (*Psal.* VIII), vere tu es Deus qui facis mirabilia (*Psal.* LXXVI). Non modo mundi hujus staturam admiror, non stabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentum, non singulos dies, non lunæ defectum et incrementum, non solem semper integrum et laborem ejus perpetuum, non temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, et quæ mortua modo videntur, deinceps reviviscunt; miror Deum in utero Virginis, miror Omnipotentem in cunabulis, miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit; miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, et tam lentos processus ad obedientiam Salvatoris. In brevi poterat patrari negotium et poterat tantus labor abbreviari ad solum Christi verbum, sicut factus mundus et disposita cuncta ad ejus imperium. Sed elementario mundo dignior est rationabilis homo, quod ex eo quod in ejus servitium facta sunt omnia facile creditur. In cæteris quocunque modo aliquæ satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor. Et cum Habacuc cano: *Consideravi opera tua, et expavi* (*Habac.* II). Miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in sepulcro jacentem, miror occisum et resurgentem. Hæc sunt nova mira quæ prædixerat Jeremias: *Novum faciet Dominus super terram. Mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI). Opus suum faciet, et peregrinum opus ejus ab eo. Jesus Christus heri et hodie (*Hebr.* XIII) ante luciferum genitus (*Psal.* CIX), initium carnis sumpsit ex Virgine; quem cœli cœlorum non capiunt (*III Reg.* VIII); qui implens omnia cum sit in omnibus, ab his tamen non capitur nec tenetur. Novum est et inauditum quod in materni angustia uteri circumdedit intra se fragilis caro virtutem Altissimi, et ordinem rerum cursumque naturæ mutavit sapientia Dei; et ubique divinitas dilatata, plenitudinem sui vasi infundens exiguo, sic est circumdata muliebri utero, cum universa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens, extra universa complectens. Quem nos parvulum, propheta nuncupat virum, insinuans ei nunquam defuisse virtutem, sed semper virilis ætatis affuisse fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat. Opus suum igitur fecit quod creaverat, salvans quod perierat, ad vitam revocans quod mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod Verbum factum est caro (*Joan.* I), quod factus est visibilis et comprehensibilis, passibilis et mortalis; et peregrinum a majestate, puer sugens ubera, panniculis involutus et sustinens convitia, Filius Dei in patibulo constitutus.

Consiliarius quoque dictus est parvulus iste, qui et alibi dictus magni consilii Angelus, eo quod secreta Dei quæ ab hominibus erant abscondita, publice revelavit, et cum nemo nosset Patrem, nisi Filius ipse arcana Dei reserans, indaginem Trinitatis explicuit; loquens Patri, et a Patre responsum accipiens, et Spiritum sanctum infundens discipulis, generationis et processionis intimans rationes, subtiliter astruens personarum proprietates, et indissolubilis essentiæ unitatem. Alia quoque inferiora, sed tamen necessaria consilia edocens, u beneficia collata homo intelligat, ut in eo quo stat, gratias agat, et quod possibile est ex Dei gra

Digitized by Google

tia, cum ceciderit resurgat. *De virginibus*, ait Apostolus, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus* (*I Cor.* VII). Vult et laudat ex imperio Domini, ut quæ nupserint, sic permaneant; quæ vero virgines sunt Dei, cumulatione castitatis integritatem exhibeant Christo, et in hunc modum quæcunque auctoritate divina immobilia constant, sic maneant; quæ vero in alterutrum potest libertas arbitrii flectere, locum eligant priorem, quia etsi bona sunt, et a Deo instituta conjugia, melior tamen est continentia, et virginitas excellentior, quam non cogit necessitas aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium. Quod si divinis consiliis obviaverint tentamenta et liberas mentes ad carnales revocaverint appetitus; adest Deus fortis, nec spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat (*Jer.* XVII), quia qui mundum vicit (*Joan.* XVI), victoriam suis promittit militibus; et qui victores sunt sui, cœlo vim inferunt, quoniam sicut scriptum est: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). In parvuli hujus nomine cum hoste antiquo congredimur, et fortis armatus superveniente fortiore de atrio antiquitus possesso potenter expellitur (*Luc.* XI), et præsumptæ infestationis audaciæ silentium imperatur. Defectui carnis nostræ quæ a primitivis fœcibus originalis mali infecta languerat, ex Christi carne redditur fortitudo; et sacramentorum communicatio, per quam illius corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo et de diabolo, et de nobis ipsis victoria potiamur, et sacramentali gustu vivificis mysteriis inhærentes, una caro, et unus spiritus simus, dicente Apostolo: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Sic hi ad quos sermo fit, dicuntur dii, et filii Excelsi, nominis, et hæreditatis, et æternitatis participes, fortitudine societatis Christi subigentes tentamina, et cum homines sint ex indigniori materia, in captivitatem redigunt, et conspuunt ligantque dæmonia. Et quidem in hoc tempore in stadio vitæ hujus se exercet militia Christiana, et præeunte Christi vexillo, quem et parvulum vidimus et cognovimus Deum; et quos spiritus consilii et fortitudinis munit, nec vinci; nec decipi possumus, quos eruditio, divina scientia et potestate fecit insignes. Videtur autem in præsenti disciplina hujuscemodi non esse gaudii, sed mœroris (*Hebr.* XII), eo quod non sine periculo certamina peraguntur. Bonum vero certamen certantibus (*II Tim.* IV) pacatissimum fructum in futuro exercitatis in justitia dabit princeps pacis æternæ (*Hebr.* XII), consignans sibi in beatitudine quorum communicavit naturæ. Ipsi gloria et imperium amodo et usque in sempiternum. Amen.

## II.

### DE RATIONE CIRCUMCISIONIS.

Inter omnia Testamenti Veteris sacramenta nihil circumcisione solemnius antiqua celebravit religio, nec tantum in Hebræos, sed etiam in Phœnices et Arabes hæc traditio inolevit. Reliquæ gentes tam mandatum quam factum irrident; et Deo minime asserunt convenire, ut Salvatoris benignitas plagis infantium delectetur, et immeritos in ipso vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino sentire, qui neminem vult perire, absurdum et irrationabile judicant. Nec tamen eis omnia reliqua sacrificia sunt horrori, sed in multis naturalem legem sequentes, expiationum retinent instrumenta, et immolant victimas, et incendunt adipes, et cum odoramentis et libaminibus fundunt coram Deo vota et preces. Legimus Job Dei testimonio approbatum, jugibus sacrificiis occupatum (*Job.* I); nec legimus circumcisum. Et poterant esse eo temporum diversis in locis multi viri insignes, qui justitiæ Dei subjecti, hoc signo carebant; licet filios Esau et Ismael putandum sit hujus traditionis non fuisse expertes. Verum cum opus istud et antiquitas commendet et jubentis auctoritas, inquirenda est tanti mysterii ratio, quæ Abrahæ specialiter et semini ejus tanto pondere mandata est, ut quisquis in illa gente hujus signi careret differentia, ethnicus, non Judæus reputaretur, et a titulo filiorum Israel abraderetur proscriptus. Hoc cum octava die jussum sit celebrari, et nomen circumciso aptari (*Gen.* XVII); intimatum est his qui digni sanctorum consortio censebantur quod eorum nomina scriberentur in cœlis, et æternæ beatitudinis quam post vitæ hujus septimanam octava consequitur, hæredes fierent et consortes, quicunque vitæ innocentia et cælibatus sanctimonia sese Domino consecrassent. Tenera itaque infantia hujusmodi erat imbuenda doctrina, et ante concupiscibiles motus, quos peccatum meruerat, miserabili pœnæ et inevitabili vindictæ etiam in parvulis adhibenda erat severitas; et antequam ebulliret sartago libidinum, provisum est ventilabrum quo refrigerari posset et exstingui depopulatricis flammæ vagus ardor et universa perlustrans incendium. Ideoque dolor voluptati, et sanguini delectationis sanguis tormenti opponebatur, ut in primis elementis discerent parvuli semper propriæ memores sectionis contraria curare contrariis, et ad cohibendos refrenandosque turpitudinum appetitus necessarium esse sale corrosorio carnis perfricare pruritus, et semper recrudescentes desiccare putredines. Ad hoc corpus suum mortificabat Apostolus, non tantum circumcidens illud seminarium membrum, sed totum se crucifigens, et omnibus extraordinariis motibus opponens cauterium, usque adeo corpus suum redigens in servitutem (*I Cor.* IX), ut diceret: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Cujus facti æmulatores erubescimus in pudendis; et detecto sectoque confusionis periculo, quamvis conscientia testis semper nobis exponat scaturientes intus peccati insidias, nec internum vitare possimus judicium, viriliter tamen standum est, et rationis auctoritate increpandi sunt titillatorii sensus, et summopere vigilandum est ne sequatur assensus. Intra nos pudor iste abolori omnino

Digitized by Google

non potest, quia nec totum hoc membrum, sed anterior ejus portio jussa est circumcidi. Res sane maxima est, si non egrediatur foras hujus contagio corruptelæ; et insaniens bestia corrupti anhelitus catenis ferreis in ultimis animæ recessibus alligetur, intusque fractis dentibus seipsam concupiscentia captiva mastiget et corrodat.

Manet itaque erubescentia propter sensum, ut qui in agone contendit, sciens circumcisionis mysterium, ab omnibus se abstineat (*I Cor.* IX) quæ possunt huic flammæ ministrare fomentum. Nec tamen peremptoria est contendentibus, sed probatoria hujus sensualitatis colluctatio tam veterna; sed institutum est certamen inter spiritum et carnem, ut victor homo peccati et pœnæ, post triumphos solemnes coronetur in gloria, sine infestationibus deinceps, liber a peccato et pœna. Hanc verecundiam post prævaricationem, vanitati subjecta, non volens anima pertulit, et vim sustinet inquietudine perurgente, et involuntariis motibus fatigata infelicitatis suæ deplorat miseriam, liberari de corpore mortis hujus desiderans (*Rom.* VII), et pacifici tranquillique status a Deo postulat libertatem. Quotidiano sane conflictus spiritus et caro luctantur, et causatur ratio adversus domesticum malum quod ita intra se exercead regnum quasi natura sit vitium, et secum traxerit creatio prima peccatum. Hoc utique prima non sentit conditio, sed secutum et transgressorem supplicium, et adhæsit individua pœna peccato; de quo erubescent quicunque mundo corde (*Matth.* V) regem in decore suo videre desiderant (*Isa.* XXXIII). Quis in tam assiduis illusionibus non confundatur? Quis non in tantis contumeliis erubescat? Fomes quippe hujus mali intus in tenebrosis recessibus latitans, ut viderit animam alias occupatam et minus ad sui circumspectionem sollicitam, irruptionibus vehementibus erumpit, blanditiis venena supponens pudicitiæ puritatem inopinatis invadit assultibus. Ideoque pudibundus homo nuditatem suam operit, et fœditatem confusus occultat. His redivivis vulneribus semper hac sanie illitis necessaria est per omnem hujus vitæ septimanam jugis resecatio putredinum, et continua circumcisio cicatricum. Et in cæteris quidem membra omnia imperio rationis obediunt, et arbitrii retinent libertatem. Hic vero, ubi Babyloniæ fornax exarserit, et quasi pice et naphtha conspersi (*Dan.* III), libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis privatur honore; intantum ut rebellia membra, velit nolit, in motus nefarios audacter exsurgant.

Præcedebant olim integumenta rerum significantia abolitionem peccati, et ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc sacramentum consuetudini antiquæ subtrahere voluit Christus, et licet non esset in hoc tempore necessarium, tamen ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit circumcisionis aptari signaculum. Sane originale peccatum quod a primis patribus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen et effectus eorum ignorari non poterat; quia ab Adam usque ad Noe sacrificia Deo constat fuisse accepta, quæ usque ad illud tempus sine legis distinctione divinitus inspirata institutione primi hominis celebrarent. Illa vero sacrificia aut in animalium sanguine, aut aliarum oblationum incensionibus agebantur, non quod fumo aut mortibus pecudum delectaretur Deus, sed ut intelligeretur immutabile judicium et prolata ab initio sententia in peccatum. Immutabile decretum ab æterna lege exierat, concupiscentia affligi, et morte peccatorem puniri, nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod subvenire, quin stimulus carnis sine ulla exceptione colaphizaret infirmum, et usque ad dissolutionem mors importuna persequeretur captivum. Et mors quidem carnis concupiscentiarum intersecabat ludibria, nec poterat ultra peccare illud quod erat putredini ac dissolutioni prædestinatum et datum; sed superarat post mortem carnis animæ labor et afflictio spiritus, nec poterat ulla ratione illa absolvi damnatio, nisi morti omnium Vita omnium subveniret, et pro generali morbo gratia Dei singulare propinaret antidotum. Hoc antiquum redemptionis nostræ consilium sanctis patribus revelavit Deus, voluitque ut paulatim assuescerent homines pasioni et morti necessariæ, voluntariæ mortis opponerent libamentum, et pœnam in medelam, et supplicium in remedium commutarent. Hujus oblationis doctrinam sacrificia continebant antiqua; et incensiones et mortes hujus consummationis gratiam præsignabant. Propter hoc cum jam fidei tempora propinquarent, imperata est circumcisio, et pars illa corporis in qua est voluptatum seminarium et libidinis officina, jussa in parvulis amputari, ut proprii primitias sanguinis ei qui totum sanguinem suum oblaturus erat offerrent, et communia singulorum sacrificia singulare præcederent holocaustum. Ubi vero Christus Dominus venit, de quo in capite libri scriptum erat ut in morte sua Patris voluntatem impleret (*Hebr.* X), cessarunt sacrificia; nec jam truncationem præputii Evangelium imperavit, sed circumcisionem cordis (*Coloss.* II), et omnem tam membrorum quam affectionum petulantiam gladio spiritus (*Ephes.* VI) resecari immutabili decreto mandavit. Et tantæ dignitatis illa una Redemptoris nostri fuit oblatio, ut una ad tollendi mundi peccata sufficeret; qui tanta auctoritate in sancta introivit in sanguine proprio (*Hebr.* IX), ut deinceps nulla supplicantium postulatio sanguinem indigeret alieno (*Hebr.* VII). A diebus igitur visitationis nostræ regnum cœlorum vim patitur (*Matth.* XI), nec jam in exspoliatione carnis circumcisio agitur, sed Spiritus sancti virtute vetustatis antiquæ sanies expurgatur.

Digitized by Google

III

DE STELLA ET MAGIS, ET INNOCENTIUM MORTE.

Nato in Bethlehem Salvatore, audita est in Ephrata ejus in terris præsentia, et usque ad silvas camposque gentium novæ hujus nativitatis est fama porrecta. In Judæa a pastoribus et angelis primo sunt hæc gaudia celebrata, nec multo post Arabum fines hujus rei notitia penetravit, et incolis Saba præclari stella luminis cœleste numen novis splendoribus indicavit. Erant in illis regionibus viri siderum inspectionibus assueti, qui arte mathematica vim discursumque noverant planetarum, quia ex elementorum natura rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimentis propriis didicerant effectibus assignata. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierant stellam oriri in Jacob, et hominem in Israel (*Num.* XXIV), cujus fortitudo quasi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui superarent Assyrios et vastarent Hebræos (*ibid.*), quo temporum nec in Jacob idolum, nec in Israel simulacrum esset (*Num.* XXIII). Diu homines illi hujus prophetiæ proventum exspectaverant, et ubi venit plenitudo temporis (*Gal.* IV), orto repente novo sidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti quam signo dromadis invecti in Judæam stella duce perveniunt. Nec potuere Palæstinæ incolas latere tanti nominis personæ; sed ubi auditum est quod stellam indicem nati in Bethlehem parvuli sequerentur, Herodi novi regis inquisitio nuntiatur (*Matth.* II). Evocatis itaque Magis, rei hujus ordinem cum omni diligentia sciscitatur; audit natum in Bethlehem esse parvulum, quem professentes regem et Deum, qui de Sabba venerant, adorare et venerari festinant : intimatum est ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licet gentilis, prædixerat, et contulit cum litteris gentium, sanctorum vaticinia prophetarum quorum scripta per omne Sabbatum legebantur; de quibus nulla in populo Judæorum ambiguitas erat quin rata essent quæ illi vel asseruissent præterita, vel prædixissent futura; a fortitudine ejus qui quasi unicornis obvios penetraret, in cujus obsequium ultrices de Italia trieres in Judææ terminos adventarent, et usque ad finem mundi dilatarent imperium, anxius expavit et timuit. Conturbabat quoque aliud quod in Michæa scriptum est testimonium : Quoniam de Bethlehem, quæ est Ephrata, egrederetur parvulus, qui dominator esset in Israel, cujus egressus esset ab initio a diebus æternitatis (*Mich.* V). Cumque ea quæ domestici codices continebant, cum his quæ ab alienigenis dicebantur, intelligeret convenire, divinis tentans reluctari consiliis, simulat perfidus religionis assensum, promittens Magis sese ad adorandum parvulum cum omni devotione illico affuturum, cum per revertentes certitudinem de puero accepisset. Turbatur cum rege maligno Hierosolyma, non lætatur; expavescit et tabescit, et negare erubescit quod Scriptura testatur. Nec minus horrendum Scribarum sacrilegium quam Herodis impietas, quia proprio Judæi abutentes privilegio, cum visitationi divinæ invenirentur ingrati, causam sibi cum Herode fecere communem; cum hinc et inde impietas et infidelitas adversus Dominum et Christum ejus fremerent, et pariter in ejus odio consentirent. Ecce alienigenæ a fluminibus Æthiopiæ ad parvulum Christum supplices veniunt, et filii dispersorum deferunt munera; accedunt qui longe erant, et qui prope, recedunt; in loco humili et supellectile vili Rex regum et Dominus dominantium invenitur, cognoscitur et ab aliis adoratur.

Quia vero neminem in conspectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet (*Exod.* XXIII), prævaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiæ gentium sacramentalia munera proferunt de thesauris, et Domino aurum et odoramenta præsentant; professentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid sentirent. In auro regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamvis passibilem professentur. Oblatio ista incarnati Verbi et exponit mysteria, et brevi subtilique indicio utriusque naturæ humanæ divinæque exprimit unitatem; quod et proprium est unicuique singulatim distinguens. Nam Deo Patri, cujus regnum et imperium suis mundum replet splendoribus, in odorem suavitatis summus sacerdos et pontifex Christus se obtulit, cujus caro passionis cremata carbonibus incensionis suæ fragrantiam transmisit ad cœlos, et usque hodie odor ille suavissimus in terrestri cœlestique Ecclesia indeficiens perseverat. Quod autem passibilitas quam obediens Deo voluntarie suscepit, incorruptione firmata sit, virtus myrrhæ obvians corruptelæ suo probat effectu, et visibilium ratione munerum immortalitatis solidæ constat evidens argumentum. Adorato Domino, Magi hilares alio tramite in suam patriam revertuntur, quia necesse est ut qui credunt ad justitiam, ore etiam confessi sunt ad salutem (*Rom.* X), deinde vias eligant arctiores, et se districtioribus mandatis obligent, quoniam per vias latas descensusque præcipites itur ad inferos, per arctas vero et difficiles reditur ad superos. Propter verba labiorum Dei religiosus quisque vias duras ingreditur (*Psal.* XVI), et jugulator voluptatum stantem ex diverso hostem securus aggreditur. Arcta via est castitas, trames strictus humilitas; jejunio affligi, et carnem in servitutem redigere, scopulosæ sunt semitæ, sed ad patriam superiorem non nisi per meatus difficiles armati milites revertuntur. Non est tutus ad Herodem regressus, nec expedit cum his qui oderunt Deum fœdera jungere : nec de religione cum malignantibus inire consilia, quorum familiaritas infantiam Christi studiose persequitur; et antequam formetur Christus in nobis, in ipso piæ conversationis initio, ut exstinguatur spiritus et suffocetur vita justitiæ, penitus elaborat. Delusum se Herodes conqueritur, cum Magos alias comperit divertisse, quia molestissimum est principi tenebrarum cum excogitatis laqueis tentatos quos-

Digitized by Google

libet noverit evasisse ; et acriori inflammatus rabie in neces Innocentium debacchatur. Sic sanctorum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat ; et quod ille in perditionem molitur, hi utuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Ecce parvuli isti, quos hostis naturæ, pietatis inimicus, bestialis sævitiæ, inauditæ crudelitatis monstrum Herodes occidit, subito fiunt martyres ; et dum vice Christi, et pro Christo avulsi, a matrum uberibus detruncantur, testimonium quod nondum poterant sermone, pernibent passione ; et sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguatur. Illico spiritus infantilis vasculi receptaculum desereus, jam non tenelli corporis ætatisque novitiæ tempore tenetur ; sed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis et intellectus plenitudinem in occursum Christi festinat, a quo militiæ suæ quærens stipendium, ad lucis et pacis æternæ præmittitur gaudia ; et Epiphaniæ solemnia in cœlestibus celebrat, nec in stellæ alicujus lumine, sed in ipsa claritate divinæ præsentiæ gloriatur. Acta est nativitatis solemnitas sursum jubilantibus angelis, deorsum ex ore infantium et lactantium laus est perfecta, resonantibus usque ad cœlos victoriæ tubis ; et versus est parvulorum vagitus in gaudium, et luctus in jubilum, sequente non stellam, sed Agnum exercitu Innocentium, et bajulante gloriosissimi triumphi solemne vexillum. Nec potuit mundus inficere nuper agonem ingressum infantilem exercitum ; et pedes qui nondum lutum calcaverant, urgens citatusque trânsitus non est passus ullis sordibus inquinari ; sed in ipso vitæ initio tota illa innocua phalanx, sine ullo integritatis detrimento, ad solidioris vitæ translata est gloriam. Et quæ exspectari poterat annorum elapsu rationis discretio, repente nullis jam ætate illa temporibus subjecta, omnis consummationis reperit finem, et casuum accidentium mutabilitates evasit. Evigilaveruut sensus quos sopor infantiæ opprimebat, displosisque palpebris intuiti lucem, in momento assecuti sunt, quæ pacificis et mundo corde debetur, beatitudinem ; et ascendentes per omnium virtutum gradus sine doctrinæ humanæ exercitio cumulatam invenire mensuram, ita ut in ordine sanctorum protomartyres primum habeant locum, et secretorum conscii divinorum, propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorent laboribus ; quos usque hodie funestus Herodes persequitur, quorum sanguine et morte diabolus delectatur.

Hi itaque a cunabulis in cœlum translati, facti sunt superni capitolii senatores et judices, nonnullis veniam obtinentes immeritis ; assistuntque miserationibus et ultionibus divinis, sed sæpius Agni, quem, quocunque ierit, prosequuntur (*Apoc.* xiv), mansuetudine, quam ira vel furore utuntur. Hi super cruore lacteo loti primitias baptismi martyrio consecrarunt, tradentes posteris formam, ubi necessitatis articulus excluserit moram, non minus ad lavacrum animæ sanguinem efficacem, quam sanctificatas verbis solemnibus aquas, maxime eum nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alveum fluat. Spiritus vero sanctus et aquis et sanguini superfertur, qui subjectos sibi fovet et abluit ; quo baptizante, idem occisio quod mersio operatur, qua exstinctam peccati vitam virtutemque emortuam utriusque rei continet sacramentum. Ipse enim est qui vel hoc vel alio modo, quicunque est ille modus, baptizat, et ad idem refertur quod pura fide agitur per Christum Dominum nostrum.

## IV.

### DE BAPTISMO CHRISTI ET MANIFESTATIONE TRINITATIS.

Non satis est quod angeli locuti sunt pastoribus, quod apparuit stella regibus, quod nativitati, et personæ et loco consona prophetarum oracula, perfidæ gentis indicio, Christo perhibentia testimonium, in unam convenere sententiam ; sublimius et perfectius testimonium profertur divinitus, et ipse Pater invisibilis auditur, et aures humanas omnipotentis Dei præclara vox penetrat, et inaudita a sæculo fidei species declaratur. Veniebat Christus ad baptismum, non egens lavacro, in quo peccatum non erat, sed ut sacramento perennis daretur auctoritas, et tanti virtutem operis nulla personarum acceptio commendaret, quoniam remissio peccatorum sive per baptismum, sive per alia sacramenta donetur, proprie Spiritus sancti est, et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet. Verborum solemnitas, et sacri invocatio nominis, et signa institutionibus apostolicis sacerdotum ministeriis attributa visibile celebrant sacramentum ; rem vero ipsam Spiritus sanctus format et efficit, et consecrationibus visibilibus invisibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, et plenitudinem gratiæ unctionis divinæ pinguedo, sanctificationibus officialibus infundit, et rem sacramenti consummat et perficit. Si in Petri vel Pauli nomine baptismi gratia donaretur, posset alius alio videri sublimior ; et secundum ministrorum merita hæc singularis gratia æstimari, ut melior esset baptismus ejus qui sanctior videretur, et indignior esset qui ab eo acciperetur quem non amplior æstimatio commendaret. Hæc et in alia sacramenta transferretur injuria, ut non in eis unitas, sed diversitas haberetur, si conserentur a melioribus fieri meliora, et minus habe rent utilitatis et ponderis quæ fierent ab indignis Sic eucharistia una alia melior, et baptismus pr ministerio vel melior, vel deterior credetur. Absi hoc a fide catholica ! absit a religione Christian tantæ corruptionis fermentum ! Una nobis fide unus Dominus, unum baptisma (*Ephes.* iv) ; quo si ab indigno forte fuerit consecratum, non aud justus iterare vel corrigere quod semel est factum quia per quemcunque fiat, idem est ; nec hoc priv

Digitized by Google

legium meritis est datum, sed gratiæ, et proprie sibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum. Neque enim Paulus pro nobis crucifixus est, aut nos gloriamur in Paulo, sed in cruce Domini gloriamur, cujus virtus omnia peragit sacramenta, sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exsurgit sublimitas et profundum, et longe lateque plenitudo diffunditur gratiarum. Quod ne ulla præsumptio sibi doni hujus in posterum gloriam vindicaret, in hoc sicut et aliis, Domini nostri Ecclesiæ suæ providit benignitas, ut ipse baptizetur a servo, ne conservi conservorum ministerium detractarent, vel aliquis cuiquam in hoc opere præferretur, quoniam sive Judas sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, absolvit et delet. Sic Rachel et Lia, Balam et Zelpham maritis accommodant, et liberos accipiunt ex uteris ancillarum. Scribæ et Pharisæi in cathedra Moysi sedentes, dum agunt quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis utuntur, et officium, non vita tantis effectibus honoratur. Obediunt dæmones exorcistis : Christum, inquiunt, scimus, et Paulum novimus, et in nomine Christi, quem Paulus prædicat, adjurati egredimur, vos autem penitus ignoramus (*Act.* XIX). Ecce in nomine suo nihil quæstuarii peragunt exorcistæ, nec se eis deferre ipsi dæmones profitentur, sed nomen Christi etiam per lucrorum sectatores suæ gloriæ retinet potestatem et fiunt in talibus causis ministri mercenarii, sicut naves onerariæ, quæ per pelagus evehunt institores, quarum rectores potius eorum quos ducunt, pecuniis inhiant quam saluti. Et tamen mare sæculi hujus necessarios habet hujusmodi transvectores, alioqui cessabunt commercia, nec ex transmarinorum copia aliorum inopia habebit subsidium, nec occurrent sibi solatia regionum, si vehicula tollantur de invio, et pelagus immeabile relinquatur. Bonis quippe sæpe malorum ministeria suffragantur.

Supponit itaque cervicem sanctam manibus hominis humilitas Redemptoris, et licet plenam non habeat virtutem, suscipit tamen Christus baptisma Joannis. Præparabat viam Domino Joannes lavando exterius corpora, ut præcederet exterius lavacrum secuturum baptisma, in quo conferretur animarum ablutio, et peccatorum remissio. Præcessit quod erat ex parte, ut consummatio sequeretur. Horret tamen Joannes, et acclive sibi esse sacrum Christi caput non patitur, quia majorem a minore benedici antiquis regulis refragatur, et criminalis ei visa est usurpatio potestatis. De plenitudine Christi omnes accepisse, et seipsum cum cæteris prædicarat Baptista ; ideoque Deo et hominem manus imponere judicabat temerarium, lavare eum in quo non erat peccatum æstimabat superfluum. Se ad solvendam calceamenti hujus corrigiam confessus indignum, formidabat exhibere prælatum, si ipse in magistro sine causa tentaret hoc agere quod ab ipso suscipere necessarium dignoscebat. Ideoque tremebundus, humili satisfactione postulanti ministerium negat assensum ; non quod obedientiam detrahat imperanti, sed quod judicio suo servo subdi non competat majestati. *Tu*, inquit, *venis ad me, et a te debeo baptizari?* (*Matth.* III.) Cui Dominus : *Sine modo : sic enim decet nos omnem complere justitiam* (*ibid.*) Joannis humilitas non arguitur, nec vituperabile visum est Christo simplicitatis diffugium, quod reverentia, non importunitas suggerebat. In hoc igitur omnem impleri justitiam asseverat, si doctrinam præcedat exemplum, et honore se invicem præveniant qui majorem et qui minorem obtinent locum ; et qui major est, fiat minor, et præcessor sicut ministrator (*Luc.* XXII) ; si in unitate sacramentorum omnes simul conveniant, si pacis ecclesiasticæ fœdera non disrumpant. Baptizatur Christus, nec ultra Jordanis retrorsum convertitur ; aruerunt unctiones Judaicæ, cæremoniæ putruerunt ; perpetuo lapsu baptismi gratia emanat ad posteros, nec ulla vetustate siccatur. Adesse se tantis mysteriis et præsentiam suam dignosci dignata est sempiterna Divinitas ; cœlisque apertis, in specie columbæ Spiritus sanctus ibi seipsum ostendens, et intelligi voluit et videri, et quietissimo elapsu adveniens, super Christum quievit et mansit. Acceperat quippe familiare super hoc ab eodem spiritu Joannes responsum, quia super quem Spiritum sanctum sub hac specie videret, ipse esset apud quem baptismi maneret auctoritas, qui mundi peccata tolleret (*Joan.* I), qui, solus a nullo sanctificatus et cuncta sanctificans, non tam interesset sanctificationibus et sacramentis omnibus, quam patraret.

Sed et vox Patris audita est cœlitus : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III), *ipsum audite* (*Matth.* XVII). Hucusque, Domine, sancte Pater, non audivimus te loquentem, qui multifarie olim patribus locutus es in prophetis, et per angelos sanctos quibus ad diversa sæpe mysteria a te legatio est injuncta. Te ipsum non ita ante hoc tempus locutum audivimus, ut personaliter tibi assignetur locutio quam proferres. Hanc vocem a Paternitate tua delatam nemo est qui ambigat ; non est qui sibi hoc verbum audeat arrogare ; non est in cœlestibus agminibus qui Dominum Jesum suum audeat filium nominare. Certe tibi soli nota est Trinitas ; et solus Pater scit Filium, Patremque novit Filius, nec a quoquam, nisi eo revelante, est cognitus. In hac divini magisterii schola Pater est qui docet et instruit, Filius qui arcana Dei nobis revelat et aperit, Spiritus sanctus qui nos replet et imbuit. A Patre potentiam, a Filio sapientiam, a Spiritu sancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus sanctus conjungit et unit. A Patre nobis datur æternitas, a Filio imaginis ejus conformitas, et a Spiritu sancto integritas et libertas. In Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu sancto movemur et proficimus. Convenerunt simul sempiterna divinitas, et temporalis humanitas, et eo tenore utriusque naturæ facta est unitas, ut in-

Digitized by Google

possibile sit quod junctum est ab invicem separari; sed Verbum et caro sic sunt una essentia, ut perfectam et integram sincera conjunctio faciat unitatem. Nec injuria est, sed gratia Dei, si quod minus videtur digniori jungatur, cum inferior natura contumeliam probrumque peccati non contrahat, nec est minoratio majestatis, profectio paupertatis; nec altitudinem Dei in aliquo humilitas dispensatoria dehonestat. Hoc testimonium auditum est, quia Filius Dei est quem Joannes tenet in manibus, verus homo, verus Deus, unicus Patris, in sua natura invisibilis, in nostra visibilis, ut fide et experimento fulciatur doctrina, dum et visu et intellectu incarnati Verbi notitiam assequatur. Dilectus a Patre immeritos nos dilexit, ultro visitationis suæ nobis beneficium largitus est, ultro sanavit, ultro curavit, ultro libertate donavit. Etiam ingratos prosequitur hic amor et revocat; neque tunc odit, cum corripit et flagellat, usque ad mortem Christum duxit dilectio, et resurgens a mortuis charos habet, quibus tantæ charitatis affectum ostendit. Duo grata vocabula, filius et dilectus, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur; ut communio nominum nos associet collegio munerum, et tantæ dulcedinis nomina nostrum emolliant animum accendantque devotionis affectum. Per omnia sibi Pater in Filio complacuit, nec ulla in eo serpentis sunt reperta vestigia, nec sacerdotii ejus pœnituit Deum, quoniam sacrificium quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, et perpetua virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quam ea die qua de saucio latere sanguis et aqua exivit (*Joan.* XIX), et semper reservatæ in corpore plagis salutis humanæ exigant pretium, et obedientiæ donativum requirant.

Huic dilecto Filio tuo, tu Domine, nos præcipis obedire. Loquere igitur, Domine, quia audit servus tuus (*I Reg.* III). Auditui meo dabis gaudium et lætitiam (*Psal.* L), doctrinam tuam amplector; suave est mihi eloquium tuum, vivus et efficax sermo tuus, ancipiti gladio penetrabilior usque ad divisionem spiritus et animæ meæ attingens, carnales et spirituales intra me separat et sequestrat affectus (*Hebr.* IV); et a vilibus pretiosa distinguens, quasi flagello de funiculis contexto, de meo interiori templo quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellit, nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum, sed a sanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit (*Matth.* XXI). Audio te cum irasceris, audio cum misereris; sive parcis, sive flagellas, justum et bonum te prædico. In ira te supplico, in clementia gratias ago, nec sanctis sermonibus contradico. Loquere, magister bone, libenter te audio, et cum adversaris mihi, etiam in plagis et doloribus intelligo disciplinam; nec latet me, te docente, ad siccandas corruptionum mearum putredines prodesse cauterium, et mundare cicatrices veteres sal disciplinæ tuæ, Evangelio tuo medente, infusum. Præcipis ut infundam corrupto pulmoni hyssopum, et spiritus tui suavitate epota, totius malignitatis inflatio detumescat. A te, Deus bone, humilitatem discentes, quasi mansueta animalia quieto gressu te bajulamus sessorem, nequaquam sub hoc onere lassitudinem, sed quietem inventuri, quia jugum tuum non est grave, sed leve (*Matth.* XI), et lex tua, et testimonia justitiæ et præcepta, timor et judicia delectabilium in se rerum continent sacramenta. Lex tua docet vitare peccatum, et corripit trangressores, et ut lotis mundisque pedibus in via immaculata incedant omnia præmonstrat offendicula, et insinuat diverticula quibus periculosi transitus evitentur; nihil impossibile, nihil jubet austerum. In quibusdam per legem tuam promissa præmia nos invitant; in multis pœnæ propositæ, et supplicia vel damna territos animos a scelerum retrahunt appetitu; neque lex tua scripta a lege naturali in aliquo dissonat, sed reprobatio mali et electio boni sic animæ rationali inflxa sunt divinitus, ut de hoc nemo recte causetur, quia nulli ad harum rerum persecutionem deest scientia sive potentia, quia et quod agendum est scimus et quod scimus facere possumus. Quod si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita ut non posset intelligi quid a nobis tua expeteret altitudo, licet invitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis et moderatio mandati, et veritatis cognitio, et agendorum distinctio auctoritate cognoscibili provisset, et simul se complecterentur possibilitas et facilitas, scientia et potestas. Præcipis mihi, Domine Deus, ut diligam te: hoc et possum et debeo et totum me et interius tibi esse jubes obnoxium et de proximo jubes ut ad meam eum mensuram complectar. Gratias ago tibi, clementissime Deus, quia quod quæris a me prius ipse donasti; et quo modo tu me dilexeris, si linguis hominum et angelorum loquar, nec digne possum eloqui, nec universa complecti quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Justum est, Domine, ut diligamus te, qui et ipse nos diligis: et iniquum omnino est ut te aliquo dilecti tui offendant. Vere hoc mandatum legem complectitur et prophetas, et in hoc verbo omnium Scripturarum volumina coarctantur. Hæc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat auctoritas; hoc ex ore tuo audivimus; hic invenit ecclesiasummationem omnis religio; primum est hoc mandatum et ultimum, hoc in libro vitæ conscripti indeficientem et hominibus et angelis exhibet lectionem. Legat hic unum verbum, et in hoc mandato meditetur Christiana religio, et inveniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse; hinc nasci, et huc reverti quidquid ecclesiasticæ continet disciplina, et in omnibus irritum esse frivolum quidquid dilectio non confirmat. Non pertinet, Domine, ad te, nec de tuis est qui te non diligit, nec diligit te qui scienter offendit. Dilectionis tuæ detrahit qui terminos a te positos transit Evangelii tui decreta transgreditur et contem-

Digitized by Google

Non amat te qui pecuniam diligit : tibi et mammonæ A nemo simul deservit. Non pertinent ad te speciem pietatis habentes et negantes virtutem, nec militant tibi negotiorum hujus sæculi trajectores; non audiunt te, sed sicut aspis aures suas obturant (*Psal.* LVII), ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato serviunt et voluptati carnalium amatores. Lex tua, Deus, apostolorum et martyrum testimonio confirmata; parvulis tuis pauperibus spiritu, quibus tibi regnum tuum dare complacuit, sapientiam præstitit, et lætificaverunt animas eorum justitiæ tuæ, in quibus per eamdem legem edocti vixerunt; et hoc dilectionis præceptum ita fidelium mentes illuminavit, ut in pace et sanctimonia viventes pacificis et mundis cordibus te viderent, et simul amor sanctus et timor castus perseverantibus B tibi studiis obedirent; usque adeo tibi ascensionibus hujusmodi propinquantes, ut fierent judiciorum tuorum conscii, et per ipsos tua et nunc postmodum judicia exerceres. Præcipisti, Domine, ut audiamus dilectum Filium tuum; gratias tibi agimus, quia nos ejus magisterio commendasti. Nos vero ex præcepto tuo ejus doctrinæ nos tradimus informandos; et inhærentes ei, libenter eum, duce Spiritu sancto, omni tempore audiemus.

## V.

### DE JEJUNIO ET TENTATIONIBUS CHRISTI.

Anno tricesimo carnis assumptæ, baptizato Domino in Jordane, postquam revelante Patre quod Filius Dei esset innotuit, non jam conveniebat eum C putari filium Joseph, vel esse subditum illi. Nec tamen repente ad signa et miracula et doctrinam usus est potestate, sed interim auctoritatem continuit, et antequam notum se faceret mundo, exposuit se tentandum diabolo; non ut divinitatis integritas probaretur, sed ut tentatoris confunderetur præsumptio; dum fame et lassitudine post jejunium veritas humanitatis pateret, quæ divinitati associata omnino peccati sensu et consensu careret. Hac ætate tempus doctrinæ insinuatum est rationabile, et ante has metas perperam invadi magisterium data est forma, quia non competit annis impubibus sedere in cathedra, et in primogenitis boum lege aratio est interdicta. Jam vero cum ætatis et temporis ratio conveniret, et ad obediendum verbo Christi mandatum D cœlitus advenisset, voluit tamen Sapientia Dei primo erudiendos informare exemplo, et contra tentamenta proponere documenta ut audiret et videret et sentiret humana rationabilitas quam insuperabilis sit victrixque peccati, si libertas arbitrii libero moderamine dirigatur. Igitur desertum Christus ingreditur : ibi suo, id est Spiritu sancto, duce et comite conversatur. Locus secretus eligitur; quia solius Dei judicio jejunia sunt agenda, et singulariter inspectorem adjutoremque Deum volunt hæc habere certamina, neque in agonibus aliquibus periculosius militatur. Nulli religionis exercitio fraudulentius inanis gloria adulatur, nulli virtuti favor ita blanditur. Jejuniorum sudoribus laus importuna se ingerit, et subtilissimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit; et pungit, cum ungit. Virtutem in hypocrisim vertit et simpliciter inchoata pervertit. Quasi tinea quod integrum erat rodit et occupat, et sanctitatis fundamenta evellit et dissipat. Subtilissimum malum proprio laqueo hypocritam jugulat, et propriis armis sanctitatem impugnat. Castigatio carnis spiritum inflat, et macies corporis extenuatum arrogantem impinguat. Contemptus venerationem venatur, fames et calamitas laudibus saturantur. Mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur et occupata hac scabie in ulceribus gloriatur. Religio fit superstitio et succedit ei ambitio subornata. Exstincto spiritu, quatriduano cadaveri solæ supersunt exuviæ, virtutis species exanimis et simulacrum sanctitatis. Tanta est hypocritarum dementia, ut fetoribus pro odoribus abutantur, et pretiosa vilia, et aspera suavia arbitrentur, et favorum sapor omnium dulcedinum superet condimenta, omnisque delira sensualitas contrariis delectetur. Propter hoc solitudo carens arbitris, et eremus assentatorum satellitio vacua a jejunante Christo eligitur, ut non cum carne et sanguine, sed cum spiritalibus nequitiis dimicetur, et, amotis minarum occasionibus, homo cum diabolo colluctetur, et soli sint in palæstra Christus et Antichristus, Spiritus et antispiritus.

Neque putet homo se evasisse pericula, cum in eremum venerit, quia quanto subtilius, tanto difficilius a tentatore invaditur, qui cogitationum foribus assidens, omnia virtutum germina in ipso ortu strangulare molitur. Imaginem Christi delere cupiens, adulterinos colores naturali pulchritudini superducit, claritatem spiritus interpolat et obnubit. Verum liberius anima expedita obviat impugnanti, ubi compedes impedimentorum defuerint et aspectus irritamenta non noverint, securiorque est congressus, ubi singula non vellicant dimicantem, nec inebriant animum lenocinia voluptatum. Honestius cum spiritu quam cum carne luctamur, quia carnis complexus fœdus exhalans nebulas, eum qui sibi adhæserit aliqua ex parte contaminat; nec libidinum morsus quisquam evasit illæsus. Flatus ille pestilens etiam longe positos inficit, et hoc certaminis genus fugam potius quam assultum requirit. Et quia solent oratione et jejunio dæmones edomari, munitio eremi cum hujusmodi armatura, exemplo Magistri, recipit Christianos; quos, etsi omnes diversorium non excipiat loci, animi tamen omnino necessaria est solitudo, ubi erecta specula, mens sibi insopita provideat, detersa rubigine, coruscantibus armis importunum hostem terreat et repellat. Jejuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates. Exstinguitur ardentis Ætnæ incendium, et flammivomi fornax Vulcani, exstincta intrinsecus, montes conterminos non adurit. Jejunium si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, et tyrannidem gulæ spoliat et exarmat. Jeju-

Digitized by Google

nium extraordinarios motus in cippo claudit et arctat, et appetitus vagos distringit et ligat. Jejunium, si humilitate ornetur, servos Dei, mundi effecit contemptores. Jejunium carnes azymas mundat e solidat; et putredines quæ ex adipe prodeunt, cons. n... et siccat. Jejunium Scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cœlesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum revelatur jejunio, et tres pueri de Babylonio illæsi egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum Domino perseverans, et Dei familiare colloquium et legis ministerium jejunio promeretur. Elias quoque eodem dierum numero abstinens in eremo conversatur. Utilitas jejuniorum temporibus Christianis clarius patuit, et a multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine jejunio non legimus ascendisse; nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid a Deo obtinere conati sunt, jejuniis incubuere et lacrymis, et pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus supplices beneficia postularunt. Nec defuit proventus, ubi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens se prostravit humilitas; sed prope fuit invocantibus se Deus, et porrexit manum naufragis et subvenit afflictis. Si Moysen et Aaron et Samuelem hodie haberet Ecclesia, cum invocarent, exaudirentur, et, orantibus Job et Noe et Daniele, populo parceretur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos; rarus Moyses, qui occidat sacrilegos; rarus Samuel, qui inobedientes lugeat, rarus Job, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat; rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes divinas edicat; rarus Noe, qui his quibus submersio imminet arcam bitumine litam provideat. Flens cum Apostolo dico inimicos crucis, qui terrena sapiunt magistratus, quorum Deus venter est (*Philipp.* III); qui in his quæ dicere nefas est, impudentes lætantur et gloriantur. Venerunt periculosa tempora quæ prædixit Apostolus, in quibus voluptatum amatores magis quam Dei, speciem pietatis habentes, virtutem vero abnegantes (*II Tim.* III). Inveniuntur præpositi innumerabiles, qui jejunia et orationes nec digito movent, in quorum manibus iniquitates sunt et muneribus eorum dextra oneratur (*Psal.* XXV); frustra ab his quærantur miracula, frustra auxilia implorentur : non sunt idonei intercessores, Domini contemptores; nec convenienter ad placandum eum accedunt, nec conciliant quem offendunt. Efficax est oratio præcedente jejunio, et, sacris studiis antecedentibus, non patitur postulatio devota repulsam. Eligitur solitudo, ut soli Deo vacans animam, cum in se per continentiam mactaverit voluptates, purgatis affectibus ad cœlestia evolet; et videns Deum oret et adoret et dulcedinis supernæ suavitatem prægustet. Forma igitur jejuniorum proposita fixoque exemplo, postquam quadraginta dierum abstinentiam Dominus consummavit, Satan cum esurientem videret, accessit. Retro-

A actum tempus obtinuerat quies, et secum silentii sera opus illud eximium Salvator exegerat; modo oblata famis occasione tumultuator de latebris prodiens foras egreditur, et subdola professione quasi compatiens ei, subvenire periclitanti naturæ hortatur : *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV). Nec vult fateri, nec præsumit diabolus diffiteri Christum Filium Dei; sed dubie dispenseque consulens tendiculas blandis innectit sermonibus, ut obaudientem sibi reddat obnoxium, et se de compassionis specie reddat acceptum. Caro et lassitudo et cætera hujusmodi hominem testabantur; virtutis integritas et vita carens omni peccato perfectius ei privilegium ascribebant, et divinitas potentissima ex ipsis effectibus negari non

B poterat. Fuerant et ante Christum viri insignes, prophetæ et sacerdotes, sed in peccatis concepti et nati, nec originali nec personali carucre delicto, et inventa est in omnibus vel ignorantia, vel insufficientia, in quibus erronei peccaverunt et egerunt misericordia Dei (*Rom.* III), per quam edocti et restituti gratias egerunt Deo, et ad plenitudinem justitiæ multum sibi deesse confessi sunt, et sperantes in Deo nullam sibi soliditatem attribuere præsumpserunt. Non ita Christus, in quo Verbi carnisque sic convenit natura ut nulla alteri ex altero injuria deveniret, quia in carne socia nullam divinitas maculam reperit, nec secuta est, nec præcessit. Hæc naturarum conjunctio diabolum excæ-

C cabat, quia impossibile ei videbatur vel quod esurire posset Divinitas, vel quod tantæ tolerantiæ posset esse, tantæque potestatis corporalis humilitas.

Duplicem itaque inquisitionem sinuosa calliditate orditur, ut de Christo utrum naturalis Filius Dei sit, ipso respondente, certitudinem habeat, ut cum Deum confessus se fuerit, absurdum videatur quod Deus esuriat, et in quamcunque partem se responsio verterit, necessitas conclusionis occurrat : Si Filius Dei es, tibi non competit esurire : quod si esuris, manifestum est Filium Dei non esse, quem violentia necessitatis communibus indigentiis inter cludit. Succurre, inquit, necessitati, si potes, alioqui deficies; et præsentes lapides in panis muta sub-

D stantiam; sic enim fiet ut evadas periculum, ei, hoc potueris, probes te Deum. Non erat digna re sponsione quæstio malignantis; neque enim tecl nas diaboli Dominus ignorabat, sed divino cavi latori satisfecit eloquio, subtilissimo dogmate edi cens corporis et animæ vitæ propriis alimoniis di beri subsidia, et cibum animæ, id est verbum D eduliis corporalibus præponendum, et citius atte tiusque menti providendum quam ventri. Nec op erat ut hoc facto insidiatori innotesceret, quia nu signo ejus poterat invidia commutari, cujus incc rigibilem iniquitatem desperatio sugillavit. Sup fluum igitur erat ad suggestionem ejus ibi nu profutura miracula operari, cum satis esset di genter consideranti quod esurientem cibi non

Digitized by Google

perabat appetitus, et desiderii motus defectio non esset, sed virtus. In nullo Christum aliqua coegit aut dominata est ei necessitas, qui propriæ moderamine voluntatis disposuit, et persolvit quod exegit humanitas. Sicut in ipsius voluntate fuit consecrare jejunium, ita et in potestate fuit tempore opportuno sumere cibum : quod utique nec ministerio, nec consilio diaboli fuerat ordinandum, quia et abstinentiæ et refectionis penes ipsum erat et arbitrium et facultas. Itaque nihil certitudinis seductor extorsit, sed dubius incertusque dimissus est; nec obtinuit ut se proderet Christus miraculo, vel intemperanter ad cibum properans obediret seductoris consilio, quasi tunc primum quid fieri oporteret, data doctrina, acceptaque sententia. Repulsus igitur auctoritate Scripturæ et propositi firmitate, defecit scrutinio; nec tamen alia aggredi via destitit, et falsatis argumentis prioribus alia subjiciens, quibus ab eo consentaneas sibi responsiones aliquas extorqueret, adjecit. Eo igitur supra templi pinnaculum constituto, quem gula non potuit, vana gloria subvertere nititur. A multis ambigitur utrum fuerit hic translatio corporalis; et si de loco ad locum se Christus transferri permiserit, eo modo quo Habacuc de Judæa in Chaldæam delatus est; et Philippus de Azoto in occursum eunuchi, qui reverteus de Hierusalem non intelligens Isaiam, codicem revolvebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconveniens; quod humeris ejus Salvator insederit, et pro vehiculo usus sit, quem præcipitatorem sciebat; vel ei ferendum se commiserit, cujus insidias agnoscebat. Suo itaque spiritu eum credendum est ductum et in desertum, et super templum, et utrobique eum diabolus assumeret ad tentandum. Et localiter quidem in deserto prima fuit tentatio; sed cæteras eo modo circumduxit tentatoris astutia, vel circumduci passa est patientia Salvatoris, quo modo Ezechiel, cum super fluvium Chobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu civitatem ædificat et metitur, et muros et templum instaurat. Hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu; sciens quid antispiritus affectaret, et hosti se de vana gloria pulsaturo opportunitatem parabat. Hac igitur occasione loci hortatur et consulit, ut in urbe sancta et frequentia populorum quasi novus funambulus in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum vulgi jactet intrepidus, addens ex testimonio Scripturæ angelorum affutura suffragia, quæ ruentem exciperent et conservarent illæsum. O exsecrabilis diaboli malitia! o stulta nequitia! o insensata versutia! o præsumptio excæcata! Putabat malignus quem gula non vicerat, vana gloria superari. Experientia quippe rerum didicerat, et in multis probaverat, vitiorum victores sæpe nugis laudationum corruptos, et cognatum propinquumque esse virtutibus malum adulationem, nec facile quemquam posse evadere, quin libenter assentatorum canticis porrigat aures, et laudatorum modulationibus delectetur. Et sicut rarus est, aut nullus qui de se mala dici æquanimiter ferat, ita rarus est qui non bene de se velit sentiri, et se, si recte vivit, stantem in vitæ rectitudine non diligat æstimari. Quod si opera virtutum foras exierint, rarus est qui hominum judicia conspuat et laudes humanas contemnat. Hoc generale malum in humano genere Satan putabat ex præcedentis occasione victoriæ suggerere Salvatori, ut popularibus laudibus vellet attolli, et facere sibi nomen juxta nomen magnorum qui sunt in terra, si geminato miraculo jejuniorum constantia innotesceret populo, et vectoribus angelis sine offendiculo sustentatus, se Filium Dei tam potenti abstinentia quam angelorum obedientia, comprobaret.

Hujusmodi consiliis filios hominum Satan corrumpere consueverat, et robustis virilibusque animis etiam hujusmodi cogitatus immittit; et si ab ingressu mentis arceatur renitente consensu, ut aliquid tamen de spurcitia sua ibi evomens, abominationum horrore nauseare compellit. Sic, ut aliquid poeticum inseram, temulentus Cyclops illiciti conjugii appetitor, licet a Pallade repellatur, in gremio tamen ejus Erichthonium fundit; et incorrupta Minerva, superest tamen deforme monstrum, nec omnino affectata scelera in memoria moriuntur. *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum* (*Matth.* IV). Hoc in Deuteronomio scriptum est (*Deut.* VI) : Ecce lex legi objicitur, et Satan auctoritate Scripturæ abutens malus legis interpres præcipitium quasi ex ratione mandati hortatur; sed intellectus fallax et falsus veritate sincera confunditur; et generali edicto interdictum ostenditur, ne, dum patet in quibuslibet angustiis quilibet exitus, Deus ulla præsumptione tentetur. Alia explorator malignus argumenta conatur adducere; et ad summam cumulumque nequitiæ suæ, continentem et humilem oblata aggreditur potestate, et ostensa mundi hujus sublimitate et gloria (quasi indignum sit tantæ auctoritatis doctorem, et insignium operum patratorem ignobili et contemptibili schemate obumbrari) et dominatione universorum usuque animum dignum honore sollicitat; et daturum se omnia pollicetur, si ei pro tanto munere gratias agat, et procidens adoret tanti culminis largitorem. Solent viris virtutum hujusmodi præstigia se offerre, et testimonium religionis conscientia perhibente, cum ab aliis digni honoribus judicentur, facile acquiescunt; et tam proprio quam alieno fascinati judicio a rectitudine corruunt, eversaque cathedra mentis, humo fractis cervicibus colliduntur; repenteque et subito quod multis erat partum sudoribus, ambitione irruente obliteratum est; et turbinis hujus impetu avulsum est quidquid antiquæ religionis labor meruerat. Malum hoc Adam in paradiso pulsavit et stravit, cum subjectionem quam Deo debebat fastidiens, appetiit dominatum; et cum vellet esse sicut Deus, sine Deo se vidit et novit; et conspectam carnis Evæ abhorruit fœditatem, quam

Digitized by Google

licet operiret, manens tamen perpes ibi contumelia stetit et adhæsit. Ad suasionem diaboli animam vanitati subjectam dejecit ambitio, poteratque exterminio ejus posteritas didicisse quam misera mutatio fuit de deliciis ad spinas et tribulos emigrasse, et rastris ligonibusque avaritiam condemnatam. Hoc malo restitit et resistere nos Salvator edocuit, ut soli Deo subjectus sit homo, quantumcunque profecerit, ut in ipso, imo ipse sit substantia nostra, et pateat nobis quod sicut peremptoria est altitudo quæsita, ita et periculosissima est oblata, non quod potestas quæ ex Deo est sit damnabilis, aut ordinatio divina peccatorum sit obstetrix, sed quod excellentiam, cujus Spiritus sanctus auctor est, ita debet complecti humilitas, ut qui vocatus est superius, nesciat se sublimem et per omnia agnoscat conditio conditorem et gratia largitorem. Gloriabantur aliquando discipuli et complacebant sibi in miraculis, gratulabundi quod eis etiam dæmonia obedirent, sed repressa est, increpante Domino, simplicitatis eorum præsumptio : *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur descendentem de cœlo* (*Luc.* x). His verbis eorum animis intimans, quia ante hoc temporale initium ipse in principio, imo ipse principium existens apud Deum, ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam vidit, et affectatæ dominationis ambitionem dejectionis ejus fuisse causam, nec in hoc gaudendum esse, si quis prærogativa celsitudinis donaretur, sed hanc esse certam stabilemque veri gaudii metam, si vocatio nostra justificatione muniretur : et tunc demum ratum constare beatificationis proventum, si hujus ordinis scriptura in conspectu Dei indelebilis servaretur. Hoc igitur attendentes, quod non in nobis quasi ex nobis sufficientes sumus, sed ex Domino sufficientia nostra est (*II Cor.* III), et contentos solo Deo necesse est ei esse omnes acclives, cui totum debemus quod vivimus, quod movemur, quod sumus (*Act.* XVII) ; qui de plenitudine sua nobis interim, prout cuique opus est, donationes partitur, donec ad cumulum perveniat copia consummata ; usque adeo conferta coagitataque mensura, ut nihil vel accedat amplius, vel recedat, sed in cognitione Dei certum finem stabilemque metam omnes et animæ et corporis obtineant appetitus.

Frustra itaque regna hujus mundi transitoria et mutabilia immutabili et æterno regi ostendit vel promittit diabolus, cum ipse dicat regnum suum de hoc mundo non esse (*Joan.* XVIII), non quod creationem suam removens, dæmonum subjecerit potestati ; sed quia in his qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur Divinitas sibi facere mansionem, et impossibile sit eos a Deo regi, qui se diabolo tradidere, quia Christi et Belial nulla est participatio, nec aliqua justitiæ cum iniquitate potest esse communio (*II Cor.* VI). Regnum hoc non est naturæ, sed malitiæ ; persecutio est, non defensio : et tota hujus potestatis virtus in mortem damnationemque eorum qui sub hoc principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur vitiis, ambitur flagitiis, turres ejus sunt crimina, arma quarumcunque turpitudinum molimina. Hujus regis teloniarii sunt pauperum oppressores, tribuni seductores, præfecti judiciorum perversores. Cubicularii ejus sunt quæstuum aduncatores, mercimonii trajectores, ærarii sacerdotes, nummularii doctores, conductitii defensores, linguæ subdolæ vel consilii locatores, venales auxiliarii, bilingues causidici, concinatores mendacii, fabricatores peccati, vestiti mollibus, amicti discoloribus. In domo hujus regis sunt qui paludamentis talaribus pavimenta verrentes, capillis mulieribus se in feminas transfigurant, et dignitatem virilem non sine naturæ injuria dehonestant. In hoc regno sunt quicunque veritatem Dei commutant in mendacium, quicunque quasi in taberna vitiorum præcones, venales animas impurissimis dæmonibus corrumpendas exponunt. Hic avaras manus cupidi muneribus complicant ; hic genu flexo concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, et propriæ libidinis adorat simulacrum. Non hæc te, Domine Jesu, gloria movet ; non hujus mundi tu tenes imperium ; non horum cupidine tu cadis aut prosterneris ; non adoras malitiam, non peccato subjiceris qui servis tuis dæmonia subdis, et omnem hujus mundi gloriationem destruis et confundis. Insanissime Satan, qua fronte, qua lingua ausus es dicere Salvatori ut ante te, qui stat inflexibilis et immobilis, caderet ? ut te damnatum, ipse qui te damnaverat, adoraret ? Quis ausus, quam impudens hæc fuit præsumptio ? Quid, desperate, sperasti ? An Filium Dei putabas posse tecum apostatam fieri ? Si de mundo visibili, id est, cœlo et terra, et de his quæ in eo aguntur, te jactas habere dominium ; nec cœli, nec terræ tu conditor ; nec solem moves, nec cursum das sideribus, nec per te volvitur firmamentum ; nec vides aut intelligis Deum, nec ullum tibi est cum cœlesti militia consortium, vel aliquam habes ad superioris mundi claritatem accessum. Hujus inferioris mundi tua est scabies, languentis sunt ulcera, hæc scalpis, hæc impurus ablingis. Si quid vitii est, si quid corruptelæ, tu cadaveribus assides, tu contrectas putredines, tu distemperas fæces, tu versas fetores, tu spiritus nequam, tu in pristino sæculi hujus fermentator immundus, tu sanctitatis corruptor et simplicium perturbator, tu incendiator libidinum et omnium turpitudinum adinventor : in his regnas quos inquinas, et in his quos polluis dominaris. Fornicatores et adulteri te habent suggestorem, te habebunt tortorem ; te quoque cum illis ultricia incendia concremabunt.

Stultis vanisque promissionibus nullus a corde Christiano dari debet accessus, sed primis titillationibus obviare debet abigens manu : nec foveri debet coluber, donec in draconem formetur. Mendax est diabolus, et his qui sibi obtemperant, multa se daturum promittit. Malum hoc in universa Ecclesia vagatur, et communis pestilentia innumera-

Digitized by Google

biles occupat, ut pro gloria hujus mundi qui liberi erant, se vendant in servos, et per vitia ad servitia deputentur, et obligati pacto chirographum subjectionis conscribant diabolo. Per omne nefas voluptates emuntur, et per omne scelus copiosæ libidines exquiruntur. Judas ille proditor venditurus magistrum, prætaxatum pretium a principibus exegit sacerdotum. *Quid mihi*, inquit, *vultis dare, et ego eum vobis tradam?* (*Matth.* XXVI.) Usque ad mortem Domini amor lucri se ingerit; nec vitæ Salvatoris quæstus desiderium parcit. Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. Simon apostolorum temporibus venalem putans Spiritum sanctum Petrum donis aggreditur, et tentat emere potestatem per quam plura lucretur. Hæc sacrilegii forma per omnia officia gradusque discurrit, et nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quisquam diaboli hæc esse negotia, et nundinatores ejus quicunque hæc exercent commercia; nec quidquam hujusmodi ab eo, nisi præmissa apostasia, donari. Inverecunde tentator ambitiosos aggreditur, et conditione perniciosa præmissa præmia talia pollicetur, ultra quæ extendi non possit cupiditas; regnorum scilicet omnium monarchiam et universitatis dominatum, ut in omnibus mundanis unus homo quasi Deus habeat potestatem, et uni omnia subjecta sint, et generale vectigal excellentiæ principali cuncta persolvant. Quid ultra cupide quæris? quid amplius avare desideras? nunquid et sic potest impleri ambitio tua, aut satiari potest fames tua, offa hujus mundi injecta dentibus tuis, et faucibus tuis universa rerum massa intrusa? Mundum habes, Deum non habes; mundus transibit; tu cum eo qui non stat, cades, transibis et rues. Peremptoria sunt hæc consilia, quæ tibi alia pollicentur, in quibus te necesse est aut vomitu aut ruptis interire visceribus. Sed et pretium quod petitur, ut diabolum adores prostratus: et eum tibi Deum constituas quem non dubitas seductorem, si consenseris ut concedas, casus tui te non potes excusare improvidum; cum ipse tibi casum et ruinam prænominet, et præcipitium exigat, qui tanti se facit nundinatorem culminis, et tantæ tibi promittit fastigia potestatis. Regnum Christi non est de hoc mundo; regnum cœlorum tibi Deus promittit, ipsum solum adora, ipsi soli memento ut servias, qui, repulso tentatore, te quoque gloria et honore post victoriam coronabit, si in justitiæ rectitudine steteris, nec falsis promissionibus obtemperans, ad venerationem diaboli damnationis ejus factus particeps incurveris.

## VI.

### DE CŒNA DOMINI, ET PRIMA INSTITUTIONE CONSUMMANTIS OMNIA SACRAMENTA.

Suscitati Lazari Hierosolymis increbruerat rumor, et tam solemne miraculum ad venerationem Christi excitaverat populum: unde et ei civitatem ingredienti, cum ramis palmarum obviam processerunt; sedentemque super asinum resonantibus laudibus gratulabundi introduxerunt in urbem, regem Israel confitentes, et acclamantes filium David in nomine Domini advenisse, cujus æternum imperium prophetarum vaticinia antiquitus conclamarant. Nec latebat Dominum, qui sciebat omnia, quod in viæ illius confinio de torrente passionis erat bibiturus, et ex ea veneratione quæ impendebatur ei a plebe, inflammandam amplius invidiam magistratuum, et animos exacerbatos vehementiori insania perturbandos, et conspirationis malignæ non ultra posse occultari consilia, nec differri amplius quæ de ejus interitu cogitarant. Sed volebat pius magister cum jam damnationis suæ dictaretur sententia, et prope esset ut figeretur in cruce, suæ dare indicia potestatis, ut qui animam Lazari revocaverat ab inferis, et quatriduano mortuo reddiderat vitam, dignosceretur virtute divina, non humana, tantum opus patrasse; et impossibile esse suam animam ab inferno teneri, qui alienam potestative extraxerat; nec se necessitate, sed obedientia urgeri ad mortem; et vitam quam aliis reddebat, ad se quoque, ubi juberet, illico redituram. Finem igitur legalibus cæremoniis impositurus, parari sibi voluit Pascha, et ex consuetudine legis ea quæri quæ solemnitas exigebat, agnum assum, panes azymos, et lactucas agrestes. Non oportet esse fermentarios Novi Testamenti ministros, puras sincerasque mentes sanctum quærit convivium, in veru crucis boni odoris assatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem, et induret solidetque mentis affectus; nec in Ecclesiæ sanctæ sacrificio ulla sit macula, sed pura simplicitas et innocentia vitæ, in una Ecclesiæ Catholicæ domo a fidelibus de Ægypto egredientibus, transito mari Rubro, lotis Christi sanguine affectibus offeratur.

Cœna itaque disposita inter sacramentales epulas obviarunt sibi instituta antiqua et nova, et consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis; nec jam ad elaborata impensis et arte convivia populi invitantur sed immortalitatis alimonia datur, a communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis divinæ invisibili efficientia probans adesse præsentiam. Significata olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, et filiis Abrahæ facientibus opera ejus summus Sacerdos panem profert et vinum: *Hoc est*, inquit, *corpus meum* (*Luc.* XXII). Manducaverant et biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, et vitæ corporali subsidium ministrabat. Sed ex quo a Domino dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem* (*ibid.*), hæc est caro mea, et hic est sanguis meus quotiescunque his verbis et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis et calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque pro-



Digitized by Google

ficit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates existens. Manifestata est etiam spiritalis et corporalis cibi distantia aliud fuisse quod prius est appositum et consumptum, aliud quod a magistro datum est et distributum. Quandiu cibi illi qui ad diem festum erant parati a convescentibus apostolis sumebantur, veteris Paschæ agebatur memoria, necdum Judas ad veterem vitam pertinens, diabolo invadente et occupante animum ejus egredi cogebatur; sed ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, et sceleratum os panis sanctificatus intravit, parricidialis animus vim tanti sacramenti non sustinens, quasi palea de area exsufflatus est, et præceps cucurrit ad proditionem et pretium, ad desperationem et laqueum. Orta fuerat aliquando, sicut in Evangelio Joannis legitur, de novitate verbi hujus quæstio, et ad doctrinam mysterii hujus obstupuerant auditores, cum diceret Dominus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis et nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel assam, sectamque membratim edere docerentur, cum illius personæ caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta, videretur interisse religio, cui nequaquam ulterius victima superesset. Sed in cogitationibus hujusmodi caro et sanguis non prodest quidquam, quia sicut ipse magister exposuit, verba hæc spiritus et vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat (*ibid.*). Panis est esca, sanguis vita, caro substantia, corpus Ecclesia: corpus, propter membrorum in unum convenientiam; panis, propter nutrimenti congruentiam; sanguis, propter vivificationis efficientiam; caro, propter assumptæ humanitatis proprietatem. Hoc sacramentum aliquando corpus suum, aliquando carnem et sanguinem, aliquando panem Christus appellat, portionem vitæ æternæ, cujus secundum hæc visibilia corporali communicavit naturæ. Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus, procurat vitam et incrementum corporibus: ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas sensibili argumento edocta est visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, et non tam corporali quam spiritali transitione Christo nos uniri. Ipse enim et panis, et caro, et sanguis, idem cibus et substantia, et vita factus est Ecclesiæ suæ quam corpus suum appellat, dans ei participationem spiritus. Et nos quidem cum caro essemus et sanguis, corrupta et infirma corporis animæque natura, reformari non poteramus, neque ad similitudinem Dei reverti, nisi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens, et in curatione desperatæ infirmitatis contraria removerentur contrariis, et similia similibus convenirent. Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro; et sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat divinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio, et ad veritatem, cujus corpus et sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usque ad participationem spiritus, non quod usque ad consubstantialitatem Christi, sed usque ad societatem germanissimam ejus hæc unitas pervenisset. Solus quippe Filius Patri consubstantialis est, nec divisibilis est, nec partiabilis substantia Trinitatis; nostra vero et ipsius conjunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat et confœderat voluntates. Ita Ecclesia corpus Christi effecta obsequitur capiti suo, et superius lumen in inferiora diffusum claritatis suæ plenitudine a fine usque ad finem attingens (*Sap.* VIII), totum apud se manens, totum se omnibus commodat, et caloris illius identitas ita corpori assidet, ut a capite non recedat.

Panis itaque hic azymus, cibus verus et sincerus, per speciem et sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis communis quem quotidie edimus vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ et sanitas mentis. Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eumdem sine sacramento manifestius edemus in cœlis, non ministerio corporali, sæpe repetitis actionibus ad eumdem revertentes, sed consummato sacerdotio nostro, erit et permanebit perpetua et stabilis, implens et reficiens nos sufficientia, qua proferet se palam absque ullis integumentis omnibus conspicabilis summi præsentia sacerdotis. Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt; nec ullo modo divina se absentat majestas mysteriis, sed, quamvis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Ideoque aliis sunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, quia omnino justum est ut tanto priventur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Nova est hujus sacramenti doctrina, et scholæ evangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, et doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ auctoritas districtissime interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur: in quibus mandatis hoc maxime discernere debet Christiana religio, quod sanguis animalium a sanguine Christi per omnia differens temporalis tantum habeat vivificationis effectum, cujus vita eorum finem habeat, et sine ulla revocatione terminum constitutum. Ideoque ad obtinendam æternitatem non potest proficere, quod semel obrutum non surgit ulterius, nec aliqua ei supere

Digitized by Google

virtus, quod sine ulla spe præcisis radicibus mors penitus exsiccavit. Vita vero hominis, licet aliquam habeat affinitatem cum sanguine, non tamen solo sanguine regitur, sed anima sanguini dat caloris et nutrimenti effectum, sicut et cæteris quæ in corpore sunt propria distribuit officia, et dividit motus, et quasi talenta partitur. Nec oportuit ut sanguini humano sanguis pecudum misceretur, quia vita rationalis hominis vitæ bestiali consociari non habet; sed omnino a fidelium animis quasi sanguis impurus detergenda est hæc carnalis opinio, ne putetur vita hominis eo modo transitoria, quo vita pecudum inanescit, vel quod sanguis consubstantialis sit animæ, et necesse sit utrumque superveniente suffocatione dissolvi. Carne quidem animalibus similes sumus, sed vita dissimiles: ideoque quod commune cum eis habemus, nobis incorporare licenter possumus; quod vero dignitati nostræ non convenit, et ab æternitate alienum videtur, a nobis subtilissimo legis indicio separamus. Bibimus autem de sanguine Christi ipso jubente, vitæ æternæ cum ipso et per ipsum participes; animalis vitæ peccata, quasi sanguinem impurum horrentes, et fatentes nos per peccati gustum a beatitudine privatos et damnatos, nisi nos Christi clementia ad societatem vitæ æternæ suo sanguine reduxisset.

Nobis itaque pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, et quos reconciliavit Deo, omnes excedens victimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum et docuit; ut non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed et interius aspersione omnipotenti anima muniremur, et penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid esset intus ibi durum effugaret, et renovaret sanaretque quidquid morbi carni vel spiritui veteris vitæ allinierat corruptela. Dixerat sane hujus traditionis magister quod nisi manducaremus ejus carnem, et biberemus ejus sanguinem, non haberemus vitam in nobis; spiritali nos instruens documento, et aperiens ad rem adeo abditam intellectum, ut sciremus quod mansio nostra in ipso sit manducatio, et potus quasi quædam incorporatio, subjectis obsequiis, voluntatibus junctis, affectibus unitis. Esus igitur carnis hujus quædam aviditas est, et quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus et eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro et visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans et imbuens omnes animæ corporisque recessus. Potus et ejus ad eamdem pertinent rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia et vivit, et incolumis perseverat, ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur; et quod est esca carni, hoc animæ est fides; quod cibus corpori, hoc verbum spiritui; excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter et finaliter. Celebrantes sacramenta commonemur, quasi ungulam findens et ruminans pecus revocare ad fauces, et minutati commomlere dominicæ institutionis exemplum, ut semper passio sit in memoria, nec terreant crucifixi hæredes mortis supplicia, sed pascant et reficiant maturatæ resurrectionis lætabunda solemnia. Quam præclarus est calix iste, quam religiosa est hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, et quæ retro sunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes sensum hujus mundi, sed divitis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem sugimus, et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam; quo interius exteriusque rubricati, à sapientibus hujus sæculi judicamur amentes, qui religionis hujus abhorrentes mandatum, usque hodie retro abeunt, et a secretis divinis omnium intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt, et recedunt. Qui manducat ex hoc pane, ultra non esurit; qui bibit, ultra non sitit; quoniam mysterii hujus sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia; ut cuicunque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine invento Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta jubilatione consona laudes resonent, et gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed exstinguit peccatum; in hoc vino non est luxuria, nec movetur ad ludum post hunc potum lascivia. Cum sopivit oblivio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur; quem Agnus iste paschalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat et delectat. Inter Dominicæ mensæ convivas animalis homo non admittitur; quidquid caro et sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur; nihil sapit, nihil prodest quidquid humani sensus molitur subtilitas; omne quidquid a suis rationibus devium videtur, sapientes hujus sæculi ad dementiam referunt, et a veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit; et cum in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est non illuminata humana præsumptio, et aspectui ejus lippitudo inhæsit. Vident hæc sacramenta pauperes spiritu, et hoc uno contenti ferculo, omnes mundi hujus delicias aspernantur; et possidentes Christum, aliquam hujus mundi possidere supellectilem dedignantur. Esurientes et sitientes justitiam cum saturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam sancti odoris sit quidquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior sinceritas ubique diffundit, ita ut post odoramenta ista gratiæ hujus comparticipes discurrant, et mutuis ad invicem affectibus complectantur, et quibus unus est panis, unum est corpus, et omnium unum cor, et anima una, uni Christo adhærens, cætera omnia quasi fermentata respuens, in unius azymi sinceritate lætatur.

Perpes est hoc sacrificium et semper permanens holocaustum; nulla panem hunc multitudo consumit, nulla antiquitate veterascit. Una est domus Eccle-

Digitized by Google

siæ, in qua Agnus editur, nullus ei communicat, A quem Israelitici nominis generositas non commendat. Hujus panis figura fuit manna quod in deserto pluit; sic ubi ad verum panem in terra promissionis ventum est, cibus ille defecit. Per singula Sabbata panes propositionis jam frigidi et duri mutari consueverant, et calidi panes ejusdem numeri in mensa proponi. Jam nulla fit panis mutatio, unus est panis caloris continui, status integri, qui semel oblatus Deo in sapore dulcissimo et candore purissimo perseverat. Nec solos sacerdotes ad panes hujus dignitatis Leviticæ prærogativa admittit; universa Ecclesia ad has epulas invitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratur; incorporatur, non injuriatur; recipitur, non includitur; cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur; fides pura, mens sincera hunc habitatorem delectat, neque immensi et omnipotentis Dei magnitudinem pauperculæ domus nostræ angustia offendit vel arctat. Panis iste angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica (*Sap.* XVI), omnibus qui digne et devote sumunt, secundum suum desiderium sapit; et amplius quam manna illud eremi implet et satiat edentium appetitus, et omnia carnalium saporum irritamenta, et omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, et super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantam suavitatem C animæ inquirenti ubi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tempestatis deponunt, ros matutinus est de cœlestibus stillans, et quasi unctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, et inter diem et noctem retro et ante se affectio intuens, inter data condonando se dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori; et se sanatam et sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, et lacrymis se baptizat. Verum hi qui verbo tenus corde sicci et mente aridi sacris intersunt, vel etiam participant donis; lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum : qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus sancti pinguedine vegetantur, nec se judicant, nec sacramenta dijudicant, sed sicut cibis communibus irreverentes sacris utuntur muneribus, et Dominicæ mensæ in veste lutulenta se ingerunt impudenter, quibus melius erat mola asinaria collo alligata mergi in pelagus (*Matth.* XVIII), quam illota conscientia de manu Domini buccellam accipere, qui usque hodie hoc veracissimum et sanctissimum corpus suum creat, et sanctificat, et benedicit, et pie sumentibus dividit. In hujus præsentia non supervacuæ mendicant lacrymæ veniam, nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem; cum intueor flentem, sentio ignoscentem. Tu si templum Spiritus sancti violas, si intra te sacrarium Dei deturbas et fœdas, si cum calice Christi de calice dæmoniorum communicas, contumelia est, non religio; injuria, non devotio. Idolorum servitus et horrenda abominatio, velle simul Baal famulari et Christo. Abi retro cum sacellis tuis, qui lucris inhias et mercedes sectaris, qui opulentus in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, et in stratis segmentatis lascivis, qui vestiris mollibus, et in terra suaviter viventium conversaris, cujus manus plenæ sunt sanguine; cujus lumbi distincti sunt, et sine baltei discurris ligamine. *Non est tibi pars in sermone isto* (*Act.* VIII), quia quod Dei est, aufers Deo, et imaginem Dei consecras idolo. Pauperes quidem spiritu ad hoc mysterium eligit et diligit Spiritus B sanctus, et eorum qui pompatice et gloriose sacris se altaribus ingerunt obsequia detestatur. Ozias, licet Rex, ob præsumptionem lepra percussus, a sanctuarii ingressu repellitur et ejus oblatio quasi sordida refutatur. Incensi odor de immundorum manibus reputatus est pro fetore, et iram non gratiam præsumptio meruit, quia contra fas rem usurpans illicitam, temerarie in sancta conscendit. Sed et propter malignantium insolentiam altare suum Deus repellit, et sanctificationibus maledicit, odit Sabbata, abominatur solemnia, odoramenta fetent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit Deus, nec esse voluntatem suam in ministris impuris, indignatione districta testatur.

Sed hierarcha pius quem Spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat, et sanctificat, elevatione manuum crucis mysterium repræsentans, confidenter orat pro sua et populi ignorantia, recolens pudibundi et contriti animi confessione, quod aliquando prævalente adversum se peccato fuerit derelictus, juxta illud quod David plorans ait : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXVIII). Et Dominus per Isaiam : *Ad tempus in modico derelinquam te* (*Isa.* LIV). Verecunda tur fateri, et tamen fatetur juventutis delicta. Sed accusatrici conscientiæ necesse est coram judic respondere, nec potest ibi esse ullum diffugium, ul ipsa testis est quæ accusat, et nihil ei potest ess occultum qui judicat. Sed ubi cum judice agit qu D judicatur, et ipse in partem accusatoris transien etiam in sua proscriptione sententiam approbi condemnantis, experitur clementiam Salvatoris, lætabundus canit : *Domine, in voluntate tua præst tisti decori meo virtutem* (*Psal.* XXIX). Et iterum p Isaiam audit : *In miserationibus magnis congregat te* (*Isa.* LIV). Sed et in eodem articulo tempo cum jam anima festinet ad exitum, et egrediens labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementi simi Dei benignitas non aspernatur, nec serum quod verum, nec irremissibile quod voluntariu et quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec ho extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, pura fuerit voluptatum mutatio) excludit a ven

Digitized by Google

sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit revertentes, et, velit nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum (*Matth.* XXVII), et ne desperarent etiam in ultimis constituti, festinans in adjutorium illico adest, et re in arcto posita non differt beneficium, sed repente indulgentiæ celeris documentum ejusdem statuit et exemplum, latroni inquiens : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Latrocinium damnationem meruerat et supplicium, sed cor contritum pœnam mutavit in martyrium, et sanguinem in baptismum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem ; et statim consummatus civis sanctorum et domesticus Dei præmissus est in regnum, reconciliationis humanæ privilegium secum ferens ad superos ; quod Deo Patri tantæ legationis fungens honore, in seipso Scripturæ hujus experimentum continens, libero et securo aditu penetrans, præsentavit. Quid tu, Domine, amplius Stephano contulisti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui supra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere sudores? quid labores sanctorum? quid tot annorum tormenta? quid martyrum plagæ? Una hora huic collatum est præmium, ad quod illi per tot discrimina pervenerunt. Sic, tu Domine, armentarios statim facis prophetas, opiliones reges, teloniarios apostolos, piscatores doctores. Neque ab his quos sanas, lente languor abscedit, sed illico quem restituis ex integro, convalescit, quia consummatum est quod facis, et perfectum quod largiris. Hanc Dei gratiam recolens, qui de sacro calice bibit, amplius sitit ; et ad Deum vivum erigens desiderium, ita singulari fame illo uno appetitu tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula, et omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum radensque palatum acutæ mordacitatis acetum. Ad hæc inter sacra mysteria ad gratiarum actiones convertitur, et inclinato capite, munditia cordis adepta, se intelligens consummatum, restitutus peccator sanctificatam Deo animam quasi depositum custoditum fideliter reddit, et deinceps cum Paulo gloriatur et lætatur dicens : *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Hæc in Christi commemoratione retractantur a fidelibus, et defæcatis animis carnis ejus edulium non est horrori sed honori, potuque sancti et sanctificantis sanguinis spiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus et partimur, dum quod divinum et quod humanum distinguimus et separamus, itemque simul separata jungentes unum Deum et hominem fatemur. Sed et nos ipsi, corpus ejus effecti, sacramento et re sacramenti capiti nostro connectimur et unimur, singuli alter alterius membra, ministerium dilectionis pro invicem exhibentes ; communicamus charitate, participamus sollicitudine, eumdem cibum manducantes, et eumdem potum bibentes qui de petra spirituali profluit et emanat, qui cibus et potus est Dominus noster Jesus Christus.

## VII.

### DE ABLUTIONE PEDUM.

Jam sacramenta corporis sui apostolis Dominus distribuerat, jam exierat Judas cum repente de mensa surgens, linteo se præcinxit, et ad genua Petri, lavaturus pedes ejus, ipse genibus flexis Dominus servo consummatæ humilitatis obtulit famulatum. Et ne quid consummationi doctrinæ deesset, inter fixa et immobilia præcepta, et ea quæ moveri possunt et repeti, distinctionem posuit, ut, cæteris immutabiliter semel statutis, ultima lavacri species quotidianis expiationibus commodata commendaretur fidelibus : et sicut lex per singulas offensiones propria sacrificia requirebat, unum figuretur fidei Christianæ remedium, ad quod curreret, quoties se cognosceret offendisse. Quod quidem Petro nondum fuerat revelatum, quippe qui hujus traditionis nondum audierat disciplinam. Docetur ergo quæ sit baptismi et aliorum sacramentorum stabilitas, et quantum ad expiationem proficiat humilis pietas et pia humilitas, et quomodo omni tempore prosequenda et repetenda sit ablutio pedum, per quam recte cognitam et intellectam adhærentes animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur. Nam baptismum repeti ecclesiasticæ prohibent regulæ ; et semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renovat, nemo sacro oleo lita iterum linit aut consecrat, nemo impositioni manuum vel ministerio derogat sacerdotum, quia contumelia esset Spiritus sancti, si evacuari posset quod ille sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit et confirmat. Ipse summus sacerdos suis est sacramenti institutor et auctor, in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem ; et sicut par est Spiritui sancto et Christo divinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas et potestas : nec minus ratum est quod dictante Spiritu sancto apostoli tradiderunt, quam quod ipse traditi, et in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, et uniformis in suo genere stat actio omnium, nihil addi, nihil subtrahi, nihil potest corrigi vel mutari. Ornata et honorata est Ecclesia quasi paradisus, in amplitudinis suæ umbilico fontem continens gratiæ singularis, flumina creans in vitam æternam salientia, vivam habens originem et decursum perennem. Hinc egredientia quatuor Evangelii flumina per universum mundum secum regenerationis evehunt lavacrum, et de abdito et secretissimo Spiritus sancti munere hujus gratiæ liquor emanat, sic lavans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionem illam vestigia derelinquat. Præteritis lotis, vita deinceps arbitrio est proprio deducenda, ita tamen ut actualibus aliquando recrudescentibus

Digitized by Google

jam non imputentur originalia, nec propter illa damnationi obnoxius sit cui semel illa sunt in baptismo indulta. In originalibus enim corruptio naturæ abjici et exterminari meruerat, sed quia non erat voluntas in culpa, providit Deus generali damnationi remedium, et suæ sententiam justitiæ temperavit, hæreditarium onus a sobole removens, et misericorditer ablutione et unctione medicinali corruptionis primitivæ fermentum expurgans. Sed in eos qui post indulgentiæ hujus gratiam voluntarii per peccata evagati sunt, qui proprio abutuntur arbitrio, et voluntate non necessitate ducuntur, indignatio et ira non immerito redit : nec in morte Christi aliquis eis superest quæstus, sed justissime eos beneficia contempta condemnant. Nunc contemptum suum non statim ulciscitur Deus, nec per singulas offensas judicantis ira discurrit, nec obstruxit fonti misericordiæ suæ ostia meatusque multiplices sed obviat fugientibus, et cogit regredi desperatos, ostendens eis pœnitentiæ viam, qua nulla latior invenitur : et reversis dat ut iterum eis possint sacramenta injuriata prodesse, quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.

Propter hoc, benignissime Domine, pedes lavas discipulis, quia post baptismum quem sui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti, quod nunquam debeat intermitti : tamen ipse quod doces facis, ut quanti quæstus hoc opus sit ex tua bonitate discamus, et inclinata ad pedes nostros altitudine tua, stans adversus proximos, et erigens se contra Deum confundatur superbia hominum, et ad humilitatem Dei noverit de se humilia sapere lutum. Pavent discipuli, nec audent obloqui, et quasi exstasis teneat eos, vel mens alias rapta peregrinetur, nec magistro resistere, neque quid hoc sit, vel cur fiat inquirunt. Solus Petrus sciens quia perhibuerat ei testimonium quod Filius Dei vivi esset (*Matth.* xvi), et quia verba vitæ æternæ haberet (*Joan.* vi), judicans apud se indignum et inconveniens, Sanctum sanctorum flectere genua ad pedes peccatorum, neutiquam, inquit, tu mihi pedes ablues (*Joan.* xiii), et hujus humilitatis sustinere obsequium, non est nostrum, qui adorare debemus in loco ubi stant pedes tui (*Psal.* cxxxi), et satis est nobis quod sicut catuli de mensæ tuæ reliquiis manducamus (*Matth.* xv). Hoc in muliere peccatrice aliquando passus es, nec dedignatus es in mensa solemni multis convescentibus infamis personæ suscipere famulatum ; cujus devotio usa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo, tetigit, lavit, et unxit unguento (*Luc.* 7). Mactata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem intulit ; singula suum præbuere ministerium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit quos protulit, de pœnitentiæ pixide unguenta quæ obtulit, caputque pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit et tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit : et tu affectum potius quam factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem. Superbo oculo Simon leprosus hanc clementiæ tuæ diligentiam non poterat intueri, sed moleste ferebat quod tangi se ab hujusmodi persona Dominus sustinebat. Qui si lepræ suæ te attenderet mundatorem, non dedignaretur, si de plenitudine gratiæ tuæ alii accipiunt, si lavas immundos, si justificas impios, si revocas exsules et abjectos. Honor tuus, Deus, judicium diligit, et æquum est ut omnis terra adoret te, et in nomine tuo omne genu flectatur : verum quod tu ante figmentum tuum curvaris, quod servis pedes abluis ; non competit majestati. Habebat in excusatione sua zelum Dei Petrus, sed non secundum scientiam (*Rom.* x), et tolerabile aliquo modo videretur quod humilitas suggerebat, si non obstinatio resistere præceptori niteretur. *Non lavabis*, inquit, *mihi pedes in æternum* (*Joan.* xiii). *Ego, si oportuerit me mori tecum, paratus sum* (*Luc.* xxiii). Hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter cervicem porrigo percussori, sed Deum meum et Dominum meum ad pedes meos prostratum non patior, non audeo sustinere. Simili modo et Joannes venienti Domino ad baptismum tentavit resistere, sed mansuetius increpatus, illico obedivit (*Matth.* iii), et quia super hoc etiam responsum acceperat (*Joan.* i), licet territus, acquievit. Sed differentiam causæ hujus Petrus intelligens, lavare magistrum et obsequi ei tolerabile judicabat. Lavari autem ab eo, et tantam humilitatis ejus pati dejectionem, ita videbatur indignum, ut omnino cogi non posset, nisi interminatio periculosissima coarctaret.

Ait ei Dominus : *Nisi lavero te, non habebis partem mecum* (*Joan.* xiii). Paulatim mysterii hujus declaratur necessitas quam conditio proposita inevitabilem reddit, et si cum Christo aliter partem habere non possumus, nisi ipse pedes nostros abluat, quandoquidem sic arctatur consensus, lavet et tergat, et sacramenti hujus nobis virtutem exponat. Supra diximus semel lotos baptismate eodem lavacro ulterius non egere ; sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum, et jugis retractatio usque ad novissima veniens, omnia debet opera et cogitatus singulos perscrutari, et affectus per vitia discurrentes, vagam instabilemque animam per inania evehentes corrigere et lavare ; nec quidquam in vita prætermittere indiscussum, quod gemitibus et suspiriis non fuerit expiatum. Hoc cum Dominus suos usque in finem discipulos dilexisset, in fine statuit et dixit neminem posse habere perfectam ablutionem, nisi hac sollicitudine muniatur. Mandatum igitur simul et exemplum complexus est, ut hoc exemplo instructi, non dedignarentur in alterutrum agere quod actum est a magistro, et mandato

Digitized by Google

posteris religionis auctoritas firmaretur. Unde et subjungit: *Si ego Dominus et magister lavi vestros pedes, et vos debetis alter alterius lavare pedes* (*Joan.* XIII). Non erubescat servus, si facere jubetur quod prius fecit Dominus; nec difficile nobis esse debet, si sicut ille nobis donavit, et nos invicem condonamus, quia alter alterius onera comportantes sic legem Christi implemus (*Gal.* VI). Quoties igitur cohortamur pusillanimes, et his qui Pharaoni in luto et latere famulati sunt persuademus, ut exeant de Ægypto, quoties cum infirmis infirmamur, et cum his qui scandalum ferunt urimur; quoties cum afflictis gemimus, toties inhærens lutum peccatorum qua possimus sollicitudine lavamus, non quod nostra ablutio ex nobis sufficiat, nisi ad lavandum omni tempore nos pius magister accedat. In hoc se periculo fluctuantem laborans anima in Canticis canticorum conqueritur : *Lavi*, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos?* (*Cant.* V.) Quod ablutum est, timet iterum inquinare; sed in via lutulenta vix aliquid solidum ubi pedem figat invenit; et in quibus sæpe provoluta est, paludum inquinamenta formidat. Clementissime Magister, quoties ego doctrinæ tuæ transgressus sum regulas, quoties edicta tua, Domine sancte, contempsi, et cum diceres mihi : Revertere, non sum reversus; cum minareris, non timui; cum bonus esses et lenis, exasperans fui; ultra septuagies septies (*Matth.* XVIII) in cœlum et coram te peccavi (*Luc.* XV), quis tot sordes abluet? quis abradet stercora conglobata? Quidquid dicat Petrus, necesse est ut ipse nos abluas: neque enim lavare nos possumus, sed in omnibus quæ agimus indulgentiæ tuæ lavacro indigemus. Ad mensæ tuæ participationem Judas proditor est admissus; sed ab hoc lavacro salutari exclusus, lavari in fine non potuit, quia Apostolatus sui honorem detestabili cupiditate fœdavit. Quia vero apud te fons vitæ est, et miserationum quæ a sæculo sunt (*Psal.* XXIV) profunditas infinita, quos abluisti baptismo, quos lavisti sanguine tuo, quos semper lavas quotidiana peccata donando, transfer a paludibus sæculi hujus, et luto vitæ præsentis ad purgatissimum gloriæ tuæ regnum, ubi nec scabies ulla, nec lippitudo, ubi nemo fluxum sanguinis patiens, nemo immundus, ubi nullo amplius opus est lavacro, configurato corpori claritatis tuæ corpore nostro (*Philipp.* III), secundum promissa tua, necesse est ut impleas, et qui incepisti in nobis opus bonum, perficias solidesque per te Christum Dominum nostrum (*Philipp.* I).

## VIII.

### DE UNCTIONE CHRISMATIS ET ALIIS SACRAMENTIS.

Dies ista multiplicibus mysteriis honoratur. Hac die primum commendata est nobis fractio panis, et mensa Ecclesiæ panem angelorum hominibus proposuit ad manducandum. Hodie Christus pedes lavit apostolis, et hoc solemni devotione omni tempore agendum instituit. Hodie in Ecclesia cum cæteris unctionibus ad populum acquisitionis (*I Petr.* II) sanctificandum, in participationem dignitatis et nominis, sacrum chrisma conficitur, in quo mistum oleo balsamum, regiæ et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta. Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, et ejecti foris ad matris ubera reducuntur, et exclusi a cœtu sanctorum, ad communionem qua caruerant revertuntur : hodie patent carceres, et damnati libertate donantur. Severitate deposita hodie judices mansuescunt, et undique conjugata pietatis negotia, quasi abortivas traditiones antiquas sepeliunt, et Christianæ religionis parturiunt novitatem. Mortuus quippe est Moyses, et veteris litteræ putruerunt ænigmata; a facie novi olei desiccatæ sunt unctiones antiquæ, tota Veteris Instrumenti incompacta est strues, tabernaculum demolitum, arca ab Allophylis capta, totus templi decor ad Assyrios est translatus. Neque enim decebat ut Christiana religio ornamentis visibilibus occupata, in manufactis delectaretur, sed ipsa tabernaculi consumptio et templi ruina, et sancta in rapinam exposita, excellentioris gloriæ intimarent stabilitatem, et manentia in perpetuum sacramenta cultores suos ad intuitum invisibilium informarent, et abstractum a corporalibus desiderium nostrum, cœlestis templi concupisceret et ambiret decorem; cujus nec antiquatur, nec senescit religio, in quo lucerna inexstinguibilis sine fine coruscat. Ubi sanguis animalium non infertur in sancta, nec sunt hæreditariæ successiones pontificum, vel uni Leviticæ tribui ministeria assignata, sed de omni tribu, et gente et lingua, quos dignos et idoneos divina probat electio, secundum vitæ, non generis meritum statuit sacerdotes, quibus calicem sanguinis sui inexhaustæ plenitudinis abundantia semper refertum, conservandum tradidit et erogandum; cujus aspersione et communione intus et extra corda et corpora mundarentur. Hodie, ut diximus, unguentum ad sanctificationem paratur, cujus fragrantia adolescentulæ et novellæ animæ accedentes ad fidem illectæ delectantur, et exinanitionis ejus suavitate delibutæ, diligunt et sequuntur aromatum largitorem, et usque ad regis accubitum spiramine illo trahuntur, et post odorem illum ubique desiderio sancto perurgente sitibundæ discurrunt. Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus qui ex quorumdam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis ejus est ex crassitudine penetrativa, quæ, secundum quasdam naturales rationes emollit et temperat spissamenta humorum, quos solet intrinsecus astringere siccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus est unctio instituta, quia sanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potentius operatur, sed adest veritas signo, et spiritus sacramento; ut et ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, et interiori homini quanta ex his detur auctoritas deiformi conversatione et cœlestibus moribus innotescat. Hoc oleo antiquitus

Digitized by Google

sacerdotes sacrabantur et reges, et ipsi altarium lapides delibuti, spiritalem intelligi volebant sacris mysteriis inesse pinguedinem. Et sicut oleum fluitat et humidis quibuslibet superfertur, ita excellentia sacerdotalis et regiæ dignitatis secundum formam Dei et Christi sub se omnia continens, regimen et munimen tam activæ quam contemplativæ vitæ obtinet, et ex hoc humore constat descendere omnes gratiarum divisiones, quas Spiritus sanctus, prout vult, singulis distribuit et largitur.

Ex hujus unctionis beneficio et sapientia nobis et intellectus divinitus datur, consilium et fortitudo cœlitus illabitur, scientia et pietas, et timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritalibus nequitiis colluctamur, nec fetoribus spuriis imbui possumus, qui balsami spiritalis odore fragramus. Hoc oleum a creditorum usuris sub Elisæo propheta mulierem pauperculam liberavit. Hoc Eliæ tempore Sareptanam pavit, nec lecythus trina effusione defecit. Hoc oleo Jacob lapidem quem supposuerat capiti unxit, et familiari mandato eruditus inter sacramenta ascensionum et descensionum, et discursus angelicos innixum scalæ sublimi videns Deum, quid virtutis hæc haberet unctio, intellexit. Moyses hoc oleo tabernaculum et sacra vasa perunxit, et super caput Aaron tanta abundantia fudit, ut usque in barbam ejus descenderet, et super oram vestimenti manaret (*Psal.* cxxxii). Samuel quoque ad reges initiandos sine oleo non accedit, et usque ad defectum et reprobationem carnalium cæremoniarum in populo illo hujusmodi perseveravit traditio, sed vasis Judaicis deficientibus defecit gratia, et stetit oleum. Impletis vasis propheticis, et sanctis regibus ad patres appositis, in apostasiam et discolatum versum instabile vulgus, in se non retinuit locum quem posset Spiritus sanctus inhabitare, et vasa amurca plena non suscepere liquorem, steteruntque in summo fæces, quæ longo situ induruere, et ubi domicilium religionis fuerat sterquilinium peccati computruit. Nec tamen cessantibus his quæ ritu antiquo inoleverant; cum jam in populo Christiano circumcisio videretur damnabilis, et sacrificia idololatriæ imputarentur, unctionis mysterium religio Christiana contempsit, sed cæteris generali sanctorum consensu damnatis, non solum in regibus et sacerdotibus unctionis honor permansit, sed in omnem populum Catholicum effusa est hujus gratiæ plenitudo. Ut sicut Christus a chrismate dictus est, eo quod singularis excellentiæ oleo unxerit eum Deus, ita et participes ejus quotquot sunt, consortes sint tam unctionis quam nominis, et dicantur a Christo Christiani, ut sint sui Christo duce rectores et duces, et offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati a Deo sanctimoniæ sacerdotes. Nec immerito huic diei assignata est tanti operis causa; et ex hoc sacramenta hæc obtinuere initium; quo hodie in sacramento calicis Christi Ecclesiæ unitas, in lavacro pedum concors societas, et donans invicem charitas et subjecta humilitas; in unctione Christiani nominis dignitas excellentiæ spiritualis proprie data est et confirmata filiis adoptionis perpes auctoritas et dignitas perseverans. Dedit itaque Dominus noster in mensa, in qua ultimum cum apostolis participavit convivium, propriis manibus panem et vinum; in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum, ut in apostolis secretius impressa sincera veritas, et vera sinceritas, exponeret gentibus quo modo vinum et panis caro essetet sanguis et quibus rationibus causæ effectibus convenirent, et diversa nomina vel species ad unam reducerentur essentiam, et significantia et significata eisdem vocabulis censerentur. Iis gratiæ supernæ privilegiis esu sanctificati panis refecti, loti, et uncti, non eam quam amiserant, sed ampliorem et digniorem recuperant libertatem; et ejecti de paradiso nudi, ad lignum vitæ hodie revertuntur vestiti, reddita stola et annulo prolato in medium, et reconciliantur matri Ecclesiæ, quos inobedientiæ malum foras expulerat; et Cherubim flammeum gladium ab introitu tranquilli status et innocuæ conversationis amovit. Hodie in terra maledicta relictis rastris et gravi vomerum pondere, et stimulis fatigatorum boum cruore perfusis, deterso sudore vultus exusti caloribus, ad paternam domum exsules reducuntur, et egressus obviam revertenti filio lætabundus pater clementiam improperio non corrumpit, nec indulgentiam fœdat conviciis, sed bonitatis suæ honorat magnificentiam, et hilaritate magnificat largitatem. Resonant in susceptione hujus solemnis musica instrumenta, et communis jubilatio pari consonantia Patri misericordiarum gratias agit, cujus imperio antiquam prædam evomunt inferi, ligantur dæmones, et diruptis ferreis nexibus diu quassati liberi revertuntur. Hæc dies nocti illi contigua est, qua absolutionis nostræ negotium Dominus inchoavit, qua a principibus sacerdotum ad Romanum præsidem ductus judex omnium sustinuit judicari, passus est rex illudi, et vita occidi; descendensque ad inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit (*Ephes.* iv), hoc Ecclesiæ suæ hodierna traditione exemplum relinquens, ut fieret in Ecclesia absolutio peccatorum, et hæreditati redderentur ejecti, et præcedentibus beneficiis quæ supra enumeravimus, libertate donarentur pœnitentes, qui secundum merita, nisi gratia subveniret, fuerant condemnati. Et omnino convenit ut eo tempore quo Christus captivos eduxit ab inferis, conciliati peccatores ad Ecclesiam reducantur, et quo confracta sunt infernalis repagula carceris judiciaria severitas mansuescat; et quo ab infernalibus tormentis cessatum est, humana supplicia crudelitatis horrorem deponant.

## IX.

### DE PASSIONE CHRISTI.

*Domine, audivi auditum tuum et timui* (*Habac.* iii). Terruit me cum appropinquaret traditor Judas, et immineret passionis hora, quod dixisti ad patrem. *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.*

Digitized by Google

xxvi) : et tristem te usque ad mortem præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus coram apostolis es professus. Audiens hæc ego expavi. Quis enim non timeat, si timet ille quem omnia timent, si pavet ille cui omne genu curvatur (*Philipp.* II), si ille qui mors est mortis et morsus inferni (*Osee.* XIII), morte propinquante pertimescit? Nonne ad hoc veneras, et ita futurum ipse prædixeras? Nonne hoc et signa, et oracula et vaticinia prophetarum a mundi initio conclamarunt? Si voluntarie obedisti Patri, et non te ut patereris coegit necessitas, quid quereris quid causaris? Nonne tu docueras et instruxeras fideles tuos, ut non timerent eos qui corpus occidunt, quia usque ad animam tyrannica violentia non attingit? (*Matth.* x.) Sed metus ille infirmitatis humanæ communem exprimebat affectum, et generalitatem omnium in carne viventium hoc dolore urgeri, et dissolutionem corporeæ spiritalisque naturæ hac molestia non posse carere, et hanc pœnam universæ successioni Adam sine exceptione impositam, ut difficultas extremi transitus timeretur. Et hæc quidem molestia in eos, qui Dei judicio rationem reddituri occurrunt, non immerito cadit : qui de eo quod beneficio vitæ et rationis, et reliquorum largitate munerum abusi sunt, accusante conscientia redarguti, examen illud in quo nullum est subterfugium timent, et ipsa avulsio spiritus carnis teneritudinem dirumpit et lædit : hanc nemo anxietatem evasit, et nemo egrediente anima sine amaritudine expiavit. Sed, tu Domine, qui judex es omnium, qui potestative ponis animam tuam, et potestative resumis, nec pœna te ex necessitate persequitur, nec formidabilis Patris tibi potest esse conspectus, quid anxiaris? quid tremebundus ad orationem discurris? Dormitantibus apostolis pervigil proditorem exspectas, nec tamen te abscondis; sed obvius in adventum eorum procedis, qui te ligare veniunt, et trahere ad Pilati tribunal, quos Judas signifer instructa malignitate præcedit. *Audivi, Domine, auditum tuum et expavi*, dum quæris a quærentibus quid quærant, cum noveris quod te quærant, et dixisti eis te esse Jesum Nazarenum. Invasit illico timor tuus eos quos tu timueras, et prostrati solo jacuere exanimes, et armatam cohortem vox unius hominis terruit; et latens in humanitate omnipotentia te discipulis pavidum, coram persecutoribus terribilem exhibebat (*Joan.* XIX). Sed ut fieret voluntas Patris, et sacrificium carnis a timore et tristitia inchoaret, suberant victimæ desolatorii carbones (*Psal.* CXIX), quos obedientiæ liquefactus adeps exstinxit, et cum traheretur vinctus ad præsidem, non supplicavit apparitoribus, sed Petri compescuit zelum; nec gladiorum passus est adhiberi suffragia, imo et Herodis et Pilati contempsit fastigia; nec potuit altitudo potestatum extorquere adinterrogata responsum. Jam postposito timore, quasi utens potentiori auctoritate, inter sputamenta, et colaphos, et reliqua ludibria, patientia et mansuetudine vesanas persecutorum mentes conturbat, et in eo quod inter injurias et convicia se malitia Judaica sentit contemptam, vehementius exacerbatur; et de impietate et malitia suavitas pietasque Christi triumphat.

Frustra funestas, judex, manus in prætorio abluis, a sanguine Domini te profitens innocentem. Tu ipse causam mortis cum diligenter inquisieris, te non invenisse in eo fateris; ipsa conjux tua nihil tibi et justo huic esse mandaverat, quod utique per os ejus dæmonia imminere sibi judicium sententia testabantur; non excusas sed accusas, causam tibi facis cum Judæis communem. Illi se proditione, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro occidis : tam te quam illos inauditæ crudelitatis scelus involuit. Veniet anima tua in manus judicis quem condemnas, fractisque tribunalibus tuis judicaberis, et demergeris in profundum inferni; eruntque tibi et Judæ scelerato in tenebris et gehennalibus flammis pœnæ irremediales, inconsumptibiles ignes, dolores perpetui, et tormenta æterna.

*Et quidem Filius hominis, sicut scriptum est de illo, vadit* (*Matth.* xxvi) qui damnatus est, ut liberaret damnatos; doluit, ut sanaret infirmos, timuit, ut faceret securos; opprobria pertulit, ut improperia detrahentium non moverent electos. Deputatus inter impios, quorum alter assumptus, alter reprobatus est, ut daretur exemplum et forma indissolubilis manens in posteros, quia nec in ultimis Dei clementia pœnitens excludit, nec ulla hora sera est, cui compunctio districta occurrit; nec eos qui vitæ suæ quocunque articulo temporis veri sunt judices iterum judicari, quia, cum judicis et tortoris vices non parcens peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat holocausti hujus incensio in conspectu Dei veniam impetrat. *Neque enim bis in idipsum judicat Deus* (*Nahum.* I, 9, juxta LXX), sed impœnitentes ipse judicat et damnat; pœnitentes vero quia a seipsis suscipit judicatos, absolvit, neque judicio quod pœnitentiæ humanæ severitas protulit, aliquid justitia cœlestis apponit. Judicati sunt Ægyptii, cum in redeuntibus super se maris fluctibus involverentur judicati Sodomitæ, cum subversis eorum urbibus flaminis sulphureis cremarentur, sed in eisdem subversionibus gemerent pœnitentes, temporali pœnæ æternalis non succederet pœna, sed esset eis pro remedio supplicium, et pro absolutione tormentum; nec contritos corde æternum contereret et aggravaret judicium. Sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præmissus est in paradisum, et factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrii. Illi vero blasphemo, quia de Domini desperavit potentia, nulla potuit subvenire clementia, nec potuit illi crucis prodesse consortium, cujus malitiam non expiabat pœnitentiæ lavacrum. Ascendisti, Domine, palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus, et potestatibus, et re-

Digitized by Google

quitiis spiritalibus victoriam ; erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erant fortitudo tua abscondita, et imperium tuum super humerum tuum : tu ipse patibuli tui bajulus, hærebas ligno quod tuleras, evectionis et passionis anxietates sustinens et labores. Consideravi opera tua et expavi. Clavis sacros pedes terebrantibus fossisque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris ; de spinis sacrum caput pungentibus non quereris, sed satagis ut innotescat posteris quare derelictus a Deo videaris, expositus contumeliis et Judæorum ludibriis. Causam mortis in te non esse Pilatus ipse prædixerat, et Caiphas mortem tuam pro inimico populo satis facturam, cum esset anni illius pontifex, prophetaverat. Tu de morte non agis, de opprobriis non contendis ; sed hoc vis intelligi quæ sit causa mortis, quis quæstus ; ut utraque re cognita peccatum appareat et gratia ; et quanti ponderis sit, utrumque rerum probet effectus, cum originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuerit exsules et damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum ; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam Christi vix cohibent passiones, quæ vix sceleratos animos a voluptatum fæce avellunt. Vulneri sane tam putrido et antiquarum cicatricum fetori non inveniebatur medicamentum conveniens, nisi unguento sanguinis hujus plaga vetus liniretur, et malagmate carnis in cruce extensæ siccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis et omni posteritati ejus serpens ille seductor antiquus infuderat. Hæc una medela corrosit illas quæ in immensum excreverant cicatrices, et vim suam concupiscentiarum perdidit corruptela, et deleta damnationis conscriptione novis litteris assignata est et restituta libertas ; privilegio dato, charta indulgentiæ sigillo plagæ lateralis firmata. Considero opera tua, et admiror te cruci inter damnatos affixum, jam nec tristem nec pavidum, sed suppliciorum victorem elevatis manibus triumphantem de Amalec ; et quasi sanctificantem de excelso plebem, et elevatum in sublimi, et quasi cœlo proximum superioribus inferentem consummati agonis vexillum, et inferioribus erexisse scalam in Patris occursum. Ibi dolorum et conviciorum immemor, subtiliter investigas et ipse exponis quare derelictus fueris, indicans anxietates illius querimoniæ verba esse delictorum tuorum, quorum personam et causam assumpseras, in tantum ut per Moysen et per Apostolum sustineres vocari peccatum et maledictum pro similitudine pœnæ (*Deut.* XXI ; *Gal.* III), non culpæ, quod pro eis voluisti intelligi, qui deserti a Deo propter peccata meruerant, quorum reconciliationis agebas causam. In qua allegator subtilis pro servis servilem non dedignaris accipere personam, et in tantum infirmis compateris, ut nec crucifigi, ne mori dum illi vivant, et te patrocinante non pereant, nec erubescas, nec formides, altitudinem tuam derelinquens, ad tempus gloriæ tuæ majestatem evacuans, ut redeant dispersi, et respirent derelicti.

Hæc est causa quare derelictus sis, ut colligeret et revocaret inanitio tua eos qui fuerant derelicti ; et qui sine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum, reducti ad justitiam, conformes Christi, et Christi efficerentur et dii. Unde scriptum est : *Ego dixi : Dii estis* (*Psal.* LXXXI). Considero, Domine, te in illo patibulo ubi videbaris sine adjutorio, quomodo imperatoria potestate latronem præmittis ad regnum ; et in cujus assumptione jam manifeste constat quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iste gloria et honore coronatus, ipsa die paradisi civis, et domesticus curiæ cœlestis efficitur. Impossibile quippe erat illam sanctam animam tuam teneri ab inferis, de qua ipse ad Patrem dicis : *Quia non relinques animam meam in inferno* (*Psal.* XV), nec corrumpi carnem meam in sepulcro (*ibid.*), quia ubi in præsentia illius effractis inferis est captivata captivitas, præsentata victrice anima in conspectu Patris, ad corpus suum sine dilatione reversa est ; et appropinquaverunt saluti, qui longe erant a salute, et inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII) morti obnoxios perpetua libertate donavit. Considero te in cruce de matre sollicitum (*Joan.* XIX), cui volenti loqui tecum, cum evangelizares, negaveras retroactis diebus colloquium, et prætuleras matri auditores verbi, pauperes spiritu, dicens eos tibi esse pro matre et fratribus, qui voluntati Patris obtemperant (*Luc.* VIII).

Nunc materno moveris affectu, et thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, et provides sedulo benedictæ inter mulieres apostolicam clientelam, et obsequium Virginis virgini discipulo tradis, ut jam non Joseph tanti mysterii eneretur præpositura, sed Joannes, quia jam exigebat ratio ut conjugii removeretur opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris et conjugis tenuerat. Habebat Joseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum ; sed quia in spiritu actum erat conjunctionis illius mysterium, passus est Joseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat ; et ideo maxime quia magistri electio sic negotium ordinabat. Ad hæc sacerdotalis auctoritatis privilegium in medio proferens, mediator inter nos et Patrem oras, pro his qui ad dolorem vulnerum tuorum opprobria addiderunt, et pro inimicis impetras veniam, supplicas et obsecras, ut hæc eis iniquitas dimittatur, et a morte tua habeantur innoxii ipsi, qui sanguinem tuum super se et super filios suos manere precantur (*Matth.* XXVII), usque adeo excæcati, ut scelus suum non intelligant, nec odium Christi ipsa mors crucifix exstinguat. Sed charitas tua interim suspendit judi

Digitized by Google

ci m, et reis ingratisque patientia tua pœnitentiæ providet locum, tempusque reservat, et differt punire dignos exitio, hæc orans ut aperiantur oculi eorum, et agnoscant quæ sit virtus crucis, quæ efficientia sanguinis, quæ magnitudo delicti et doni, gratiæ et peccati. Tanta erat spissitudo velaminis, et crassitudo doctrinæ, qua erant Moyseos scriptura imbuti : ita erant eorum sensus hebetes, et ingenia tenebrosa, ut in verbis legis nihil divinum saperent; nihil aliud quam exterioris umbraculi integumenta viderent, neque ad sacramentorum secreta aliqua intellectus indagine penetrarent, imo si quis eos vellet in sancta inducere, et introducere in arcana profundaque mysteria; impium judicabant et stultum mel e petra sugere, et de saxo durissimo oleum eliquare.

Dimissum est ergo Christo orante peccatum, et ex parte maxima cæcitas illuminata est, et malignantium perfidia demum credidit et intellexit; et de torculari crucis mustum expressit, accepit et bibit; et in calice quod propinarat Moyses vinum merum a fœcibus segregavit. Ecce plus potuit donum quam delictum, et gratia quam peccatum, quoniam ex debito damnationis obnoxios, gratis s ne ullo merito gratiæ beneficio pietatis absolvit, et judicium imperante Christo misericordiæ dedit locum, et districtionis suæ temperamentum justitia Domino disponente modeste sustinuit. Jam videt Hebræus, et quicunque de servitute Ægyptia ad repromissæ patriæ libertatem anhelat, quod sanguis Christi efficacius quam sanguis agni illius, quem in Ægypto Israel immolavit, contrarias abigat potestates, cujus hodie tanta est auctoritas et potestas, ut non solum Israelitica limina muniat, sed etiam ab his qui Israelitice non vivunt, solum sacramenti signum repellat dæmonia, et ubicunque conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis virtus et sanguinis nota. Denique quicunque sint sacramentorum ministri; qualescunque sint manus quæ vel mergunt accedentes ad baptismum, vel ungunt; qualecunque pectus; de quo sacra exeunt verba, operationis auctoritas in figura crucis omnibus sacramentis largitur effectum, et cuncta peragit nomen quod omnibus nominibus eminet (*Philipp.* II), a sacramentorum vicariis invocatum. Et licet indigni sint qui accipiunt, sacramentorum tamen reverentia et propinquiorem ad Deum parat accessum, et ubi redierint ad cor (*Isa.* XLVI), constat ablutionis donum, et redit affectus munerum; nec alias quæri aut repeti necesse est salutiferum sacramentum. Jam sanguis tuus, Domine, non quærit ultionem, sanguis tuus lavat crimina, peccata condonat. Clamat sanguis Abel, clamant Sodomorum peccata, et parricidium et libido digna sunt ultione. Tu olim ultionum Deus (*Psal.* XCIII), modo misereris et parcis his qui offenderunt; sanas contritos corde et alligas vulneratos, filio prodigo revertenti non improperas luxum; mulieri adulteræ non opponis prostibulum; peccatricis publicæ non recusas servitium, debenti pecuniam dimittis depositum. Judæis perfidis et dedisti gratiam, et demisisti scelus scelerum et peccatorum peccatum. De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens (*Joan.* IV); et de eadem consubstantialique origine divisis limitibus aqua et sanguis emanant (*Joan.* XIX), ad complementum perfectionemque totius justitiæ, sacramenta in perpetuum duratura; et fontis illius ubertas perenni lapsu universam Ecclesiam irrigat et fecundat. Ex hoc fonte non tantum ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Christum, undas haurimus; sed et compunctionum et lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum suavitas, et totius pietatis effectus emanat. Tu, Domine, sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio (*Eccli.* XLIV), sancti hujus sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, et beneficium hujus sancti liquoris in perpetuum tradidisti, et constituisti nobis inconsumptibiliter potum vivificum, crucis signum, et mortificationis exemplum. Tu consummatis omnibus vade ad Patrem, et trahe nos post te; da nobis in vita præsenti, ut simus sine angaria bajuli crucis tuæ, et comprehendamus cum omnibus sanctis quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum hujus ligni significet (*Ephes.* III), quo conspecto non noceat nobis, neque mordeat coluber solitudinis (*Eccle.* X), sed incolumes per omnia sequamur te; tecum parvuli simus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum jejunemus, tecum lotis pedibus panem angelorum edamus, tecum crucifixi mundo vivamus, tecum Spiritu sancto repleti, et corpore et spiritu in æternum maneamus. Qui vivis, et ultra non moreris in sæcula sæculorum.

## X.

### DE RESURRECTIONE CHRISTI.

Quæsitis aromatibus ad ungendum Dominum Jesum in monumento positum, sacræ mulieres communicato consilio convenerunt, et repertis ibi sine corpore sudariis, quem non invenere putavere sublatum. Nam et lapis revolutus et vacuum monumentum simplicibus animis conjecturas hujusmodi opponebant, quod corpus strictum linteis, nisi translatum esset, moveri loco non posset, nec lapis magni ponderis, nisi vi humana, nullatenus revolvi potuisset : unde et mane venientes quomodo posset ab ostio monumenti lapis gyrari anxie causabantur. Sed Dominus qui inspiraverat ut venirent, prævenerat venientes; et egressus de sepulcro vacuum locum reliquerat, apertoque ostio ingredi volentibus liberum dederat aditum, et quasi monebat se alias quæri, qui illi angustiis non poterat occultari. Flebant igitur sacræ feminæ, quæ eum cui obsequi volebant se perdidisse putabant; et obriguerant mœstitudine, eo quod devotio sua desiderato frustraretur effectu. Habuerant siquidem eum sicut prophetam, non inferiores fide illis discipulis qui dicebant quod Jesus Nazarenus vir propheta fuerat, potens in opere et sermone (*Luc.* XXIV). Et licet de resur-

Digitized by Google

rectione sua ipse tam apostolos quam reliquos discipulos, in quorum societate istæ esse meruerant, magister providus instruxisset; incusserat tamen omnibus dubietatem et terrorem supplicium crucis et mortis atrocitas; nec tamen ab eorum cordibus avelli poterat dilectio qua adhæserant, et recordatio signorum quæ viderant, et admiratio doctrinæ quam audierant, et conversationis piæ admirabilis sanctitudo qua fuerant informati. Necdum firmo gressu ibant, sed lababat pes dubitantium, sed quærebant quem amabant, nec maligne desperabant: unde factum est ut quæstum inventionis dilectionis perseverantia mereretur. Illæ itaque primæ viderunt et cognoverunt quæ ardentius dilexerunt, quæ devotius quæsierunt: illæ sermocinatæ cum Christo, certificatæ quod ipse esset qui a mortuis resurrexisset, nuntiant Petro et cæteris (*Marc.* XVI), quod Christus resurgens a mortuis jam non moritur (*Rom.* VI). Evangelizarunt viventem, qui mortuus putabatur; nec jam sepulturæ ejus odoramentis corporalibus deserviunt; sed aromatibus firmæ fidei et certæ spei, et charitatis sinceræ regnanti Domino famulantur, et virtutum fragrantiam non judicato præsentant, sed judici. Lætantur apostoli, quos mundus quasi dehiscens terruerat, et quasi dissolutione elementorum quassaretur, omnia præcipiti ruina sterneret, minas horribiles intentarat; solidatisque et compactis cœlestibus et terrenis, æterna redemptione inventa, gratulabundi adorant quem reliquerant; credunt, nec in aliquo hæsitant; assistunt, quantum possunt, ei a quo diffugerant. Quem non fragor ille mundi terreret; quando terra tremuit, sol expalluit, et radios lucis suæ sol contenebratus abscondit? Ipsa monumenta lapides sibi superpositos projecerunt, et indignata superior et inferior plaga tenebris et motibus et scissuris, compassionis suæ et vehementis angustiæ indicaverunt affectum; nec sustinuit intueri mundus perfidiæ Judaicæ scelus; et visa sunt insensata elementa sensu uti abundantiore quam homines, quibus secundum naturam ratio inerat, et crudeliores exstitere feris abutentes intellectu; in tantum Christi sanguinem sitientes, ut se ipsos maledictione æterna damnarent, et in parvulos suos anathematis illius reliquias immobili stabilimento firmarent.

Sed ne in eorum scelere diutius immoremur, qui repulsi sunt et destructi in finem; quorum parricidalia vota servitium et exterminium meruerunt, quos cum Dathan et Abiron (quos ob dissensionis flagitium terra dehiscens vivos absorbuit (constat in tenebris inferi sigillatos, ne tantarum abominationum recordatio paschalem serenitatem interpolet, circa solemnitatis inclytæ gaudia devotis et alacribus animis insistamus. Neque enim fas est ut a nobis aliqua his diebus tristia recitentur; sed sicut filiis Core datum est ut semper læta canerent et prophetarent, et omnes psalmi eorum attitulati nominibus gaudia prædicant, nec aliqua minantur adversa, ita nos ad Christum pertinentes, cujus sanguine conspersa creditur Adam calvaria, qui sub loco quo crux Domini fixa est humatus traditur ab antiquis; ejusdem sanguinis sanctificati elapsu, lætemur et delectemur in Domino; nec jam amatoribus crucis mors magistri sit horrori, neque pœna sit dolori, nec passio sit pudori, cum hæc omnia vitæ nostræ sint instrumenta, quia mors ejus pro peccatis nostris sacrificium fuit, et pœna crucis excessibus pœna dignis occurrit; labor ejus onera nostra deposuit, dolor ejus nos sanavit, et damnatio indebita nos a damnatione æterna absolvit. Et si quid confusionis visa est in tempore illo pati sancta ejus humilitas, rerum hodie manifestatur effectu quod Apostolus ait: stultum hujuscemodi sapientius esse hominibus, et infirmum fortius omni fortitudine, per quod reprobata sapientia hujus mundi (*I Cor.* I), et de sapientibus et potentibus in nomine crucifixi pauperes spiritu potentissime triumpharunt. Cantemus igiter Domino; gloriose enim honorificatus est (*Exod.* XV). Liber populus egreditur de Ægypto, Moyse duce; mare fit pervium; columna flammea nocte coruscans Israeliticum antecedit exercitum; stat a dextera et læva mare suspensum, desiccato luto profundi, inoffensum abyssus dat transitum; et egresso populo Dei, Pharaonem cum populo suo repentina mole illapsum pelagus intercludit. Jam præcesserat agnus quem Israel in Ægypto immolarat, cujus sanguine limina rubricata percussor angelus non est ausus attingere; nec exterminatoris gladium populus formidabat, cui et de spiritalibus nequitiis parabat victoriam, illud sine macula sacrificium, et mare divisum, et totum Ægypti robur exstinctum. Primum illud antiquum Pascha his miraculis coruscavit, et excluso fermento, præceptum est ut horum dierum celebritas ageretur in azymis; nec solemnitatis hujus gaudia servilibus operibus fuscarentur, nec omnino aliqua tantæ sinceritatis gloriam malignitas inquinaret. Certa data est ex lege distinctio, quæ esset paschalis oblatio, et tempus et locus, et modus; quando, vel ubi, vel quomodo sacra quomodo sacra deberet hostia immolari. Victima, agnus, locus, una per singulas familias domus; caro non elixa, sed assa, hora vespertina. Hæc cum eo tempore fierent in figura, quod nos in veritate agimus typice loquebantur: et dirupto in Christi morte templi velamine, verus Agnus solus inter filios hominum sine macula Christus ætate ultima, in qua mundi vesperascit conditio, ab una populi Christiani familia in unitate Ecclesiæ assus in cruce, projectis foras hæreticorum fermentis, sinceræ fidei solidata compagine, inconsumptibiliter editur, creditur, et tenetur. Nova et vetera sub hoc nomine convenerunt; egreditur Israel de servitute Ægypti, exit populus Dei de regno diaboli, baptizantur in nube et mari Hebræi, et jam Spiritu sancto et sanguine Christi mundatur a peccatis populus Dei, ex diversis familiis una fit domus, una fit tribus, unus est cibus significantia et significata, res et signa virtus invisibilis, et visibilia sacramenta

Digitized by Google

sic faciunt unum corpus, sicut caro et spiritus, et quod videtur, et nomine et virtute Christi corpus censetur. In hac rerum convenientia honorificatus est Christus, et gloriosæ laudis triumphos lætabunda hodie canit Ecclesia, in lapide angulari consocians disjunctos olim parietes, quos in unum mirabilis artifex fuso sanguine glutinavit, et reprobato diu a malignis fidei fundamento, charitatis suæ nexibus divisas copulavit macerias, et redegit partes in totum, et multa in unum, et facti sunt una domus confœderati parietes, et stabile fundamentum. Honorificatus est Christus resurgens a mortuis, victor mortis, spolians inferos, et captivos præmittens ad superos.

Hucusque per humilitatis gradus ascendens, modo gloria et honore coronatus, nil mortale, nil passibile retinens, impassibilitatis et immortalitatis donavit nos gloria, et resurgentes in beatitudine constituit sempiterna. Resurrexerunt quidem ante Christum, sed in nomine et fide ejus, sub Elia vivente in corpore, unus; et Eliseo vivo et mortuo, duo qui obierant; sed ad mortem quam gustaverant, iterum redierunt. Resurrexit et Lazarus, et alii nonnulli ad imperium Christi, et aliquo tempore beneficio vitæ usi, iterum ad funera rediere. Res quidem honorabilis et dominatio potestativa fuit ad corpus exanime spiritum revocare; sed resurrectionis hujus cujus sunt in Christo primitiæ, incomparabilis est dignitas; quam nec sequitur corruptela, nec dissolvit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat. Mirati sumus in transfiguratione quæ facta est in monte præsentibus apostolis Petro, et Jacobo et Joanne, quando sicut sol resplenduit facies Salvatoris, et vestimenta ejus candorem omnem exsuperantia apostolorum hebetavere conspectum; sed momentaneus ille decor imaginem, non speciem similitudinem, non substantiam, partem, non plenitudinem transformationis mirifice explicavit. Sed neque eamdem gloriam quam ante ostendit: sed quod videre consueverant, hoc viderunt; et dilata est claritatis illius quam nobis pollicitus est plenitudo, quæ in se erat perfecta, et a nobis exspectatur perficienda, lucidior et sincerior, quam æstimari possit ab aliquo, vel quam illa etiam claritas intimaverit, cujus primitias in Christo transformato accepimus. Agunt in cœlestibus hæc paschalia gaudia ipsi angelici spiritus, et resurgentis Domini gloriam admirantur, lætantur et delectantur in eo, quod forma servi reversa sit in formam Dei, et exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem. Sed et in hoc multiplicata sunt gaudia, quod ab his pro quibus se humiliaverat, tantæ excellentiæ beneficium dignatur esse commune, et partiri nobis suæ abundantiam voluit claritatis: ut post resurrectionem corpus non aggravet animam, sed sit caro sine mole et pondere, agilis et mobilis, nullis clausa obstaculis, visu et auditu penetrans omnia et attingens, quocunque voluerit sine impedimento discurrens. Inerit resuscitatis corporibus nulli vanitati subjecta libertas; et quæ cogi non possit ad aliquid, in nullo laborans, jam a spe educta, reipsa perfruens, nulla exspectatione suspensa, et in pace quietissima confirmata, omnisque expers formidinis, in spiritalibus deliciis jugis illa permansio reflorebit. Quam mirabilis est scientia tua Deus, confirmata est super nos, nec possumus ad eam attingere (*Psal.* CXXXVIII). Hæc sapientiæ tuæ altitudo, qua mundum non ex præcedente materia, sed solo verbi tui condidisti imperio, creaturis vero corporalibus ex mundi essentia dedisti initium suis incolis singula elementa adornans; hominem quem de mundo fecisti, cunctis in terra et aquis et aere viventibus præficiens, ita ut suo præposito singula in suo genere ministrarent. Tu aliis vitam temporalem, aliis procurasti perpetuam; admirabili ordine quædam mutans et renovans; et præfinito tempore metam irrationabilibus omnibus præfixisti, et terminum quem transire non possit dissolutioni conditio destinata. Homo quia ex cœlesti et terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle et carnibus, tempus accepit, quo te jubente redderet terræ quod de terra assumpserat, et ad immaterialem originem reverteretur spiritus, cujus natura dissolutionis non admittit injuriam. Corpus putredine, et caro vermibus consumenda, secundum naturæ suæ rationem, æternitatis non poterat privilegio perfrui, et quod sibi jure non competebat, a Conditore nequibat exigere; neque ulla eorum interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime Domine, ultro gratiam volens dare spiritui, decrevisti clementius, ut ex societate et clientela quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proveniret: et quæ ei vehiculum fuerat et particeps studiorum, in recompensatione ministerii, iterum dilecto accolæ consociata pudica et pacifica rediret, nullas secum revehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed et hoc, Domine, ad cumulum beneficii addidisti, ut inter legem carnis et Spiritus nulla postmodum esset diversitas, nec post initum fœdus ulla iterum inter eos recrudescat rebellio; sed per manum tuam reconciliatio ordinata stabilis in perpetuum perseveret.

Te igitur jubente, terra fit caro, et expulsa de domo iterum conjugatur viro, non jam ancilla, sed libera: et habitant unius moris in domo murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentiæ concitabant. Quis, Domine Deus, considerare hæc opera tua sufficit? et quis lutum coagulare potest in carnem, quis formare potest in hominem, quis infundere animam, quis reddere vitam, quis dare æternitatem, quis addere felicitatem? Ad hunc proventum humana laborabat creatio, hæc semper fidelium exspectatio fuit. Hoc optabat rex ille humilis qui se noverat imperfectum, ut adderes conditioni tuæ quod decrat, et perficeres et solidares

Digitized by Google

opus tuum, quod corruptibilitas et mortalitas assidue conviciis multis solebant affligere, et variis opprobriis consueverant infestare. Tu morti imperas, et absorpta eliditur; inanescit corruptio, ubi æger de medente sanatur. Gustasti mortem pro filiis hominum; ut qui tecum mortui erant, tecum viverent, et participes tribulationum, etiam consolatione gauderent. Resurrectio quidem communis est, et ante tribunal Christi necesse est in corpore justos stare et impios, Dei hoc dictante justitia, ut pietas et impietas in operatoribus debitis stipendiis donarentur; et qui finem habere contempserunt in malis, infinita clauderentur ultione in pœnis, et qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnantes beatæ fierent perennitatis participes. Non sunt participes hujus gaudii, quos damnat ambitio; non potest furtivos habens loculos paschalibus solemniis interesse. Nihil proditor et venditor magistri, fermentator profanus commune habet cum azymis; omnis immundus in anima ad esum hujus agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur; omnis malignitas excluditur; calceatus pedibus ad evangelizandum paratus, accinctus renibus et sanctimoniæ destinatus, habens baculum in manibus, et festinans ut Ægypti deserat idola, sequens Moysen, nec formidans vitæ discrimina, quisque purus et sincerus sine fraude homo verus accedat et edat; et securus quod resurgat, mortem optet, ut attingat ad æterna gaudia, in quibus est vita nostra sursum manens, et nos trahens ad bona cœlestia. Qui vivit, etc.

## XI.

### DE ASCENSIONE CHRISTI.

Celebrata in cruce solemni victoria, cum jam templum corporis sui, quod persecutio Judæorum effoderat Dominus reparasset, noluit statim ad Patrem ascendere, et glorificati corporis præsentiam inferre cœlestibus; sed necessaria dispensatione discipulorum infirmitati consulens, utiliter distulit; et quadraginta diebus in terra conversatus, et visus est sæpe et locutus cum apostolis, et manducavit et bibit; et vulnera quæ ad dubietatem eorum tollendam in corpore reservarat, et videnda et palpanda exposuit, et impleta in se quæ in Scripturis erant prædicta evidentia rerum edocuit. Ad hoc necessaria fuit hujus temporis mora, ut recollectis quos in fugam timor impegerat, quos supplicium crucis terruerat, in multis argumentis apparens, mentes quæ diffidentia titubaverant, solidaret; nec esse phantasticum, sed verum corpus quod surrexerat, tam commessationibus quam contrectationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, ut sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, imo ut discipulorum desideria recessionem ejus corporalem ambirent, quia spiritalis præsentiæ plenitudo, quandiu conspectu carnis præsens aderat, adventare non poterat; et paulatim in hoc conducti sunt, ut libenter consuetudine convictus assueti carerent, cum inhabitator Spiritus sanctus earum animas possidens, invisibili accessu sinceriores eis affectus infunderet, et aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro Patrem luminum (*Isai.* I), et substantia rerum sperandarum (*Hebr.* XI) proposita apparentia sepeliret, nec incertitudinis scrupulus superesset, cum Dominus et magister, quem verum hominem probaverant, eis videntibus cœlum ascenderet; sed jam securi se crederent secuturos, nec esse impossibile quin et ipsi in carne et spiritu ad superos transferrentur. Omnibus itaque ad tam delectabile spectaculum aggregatis: *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (*Joan.* XX). Horum verborum auctoritas, cum jam eorum virtutem Spiritus sanctus intimasset, omnem poterat excludere diffidentiam, et hilarescebant animi eorum paternitatis divinæ illustrati honore, et fraternitatis Christi honorati consortio, cum audirent et crederent se filios Dei et fratres Christi, in quo omnis excellentiæ plenitudo et sufficientia inerat. Nec jam quasi idiotæ et hebetes huic verbo applaudebant carnaliter; sed subtilissime generationem et dignitatem creaturæ a voluntate et nutu Creatoris habuisse initium, et imaginem et similitudinem Dei in interiori homine videbant; et dignoscebant, intellectu potius quam visu, quam affinitatem habeant inter se pater et filius, et quia substantivo et naturali Filio filii adoptivi conformes, a prima origine multa habeant ex natura, et multa ex gratia. Sane hujus generositatis consortium, secundum quam simul cum Christo filii Dei sumus, nobilitatem existentiæ nostræ exponit et intimat: in quo honore si manserimus non degeneres, constat omnino non posse Patrem dissidere a filiis, sed deiformibus tutam esse ad paternitatem accessum, nec posse pati, ad hæreditatem possidendam dispositos in petitionibus divinis repulsam; sed in quibuscunque filius filialiter genitorem appellaverit, necesse est bonitatem largitoris juste supplicantis prosequi voluntatem, maxime cum ipse Pater qui largitur ista suggerat peti quæ non differt benigne largiri. Et quidem paterna charitas bonis filiis et hæredibus maxime delectatur; et hoc gloriæ Christi unigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem, sed addit fratres; non qui minuant quasi divisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem divitiarum ejus exornent participes et consortes. Quod cum ipsum qui Pater est, constet esse Deum, et eum Deum nostrum sicut et suum Filius attestetur, in eo quod filii sumus, ipse nos possidet: in eo quod noster est Deus, quod nostrum est, ipsum cujus prorii sumus, proprie possidemus.

Dico igitur Domino meo: Deus meus es tu, et dicit mihi Dominus meus: Ego dominus Deus tuus. Homo cujus Deus est, quid amplius quærit? Si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quidpiam, nec auferre. Si esurierit, non dicet tibi. Ejus est or-

Digitized by Google

bis et plenitudo ejus, et magnitudinem ejus cœli cœlorum non capiunt. Non infirmatur, non eget indumento vel cibo; omnia scit, omnia potest, omnia continet: in ipso omnes vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVII). Quid tu ei quasi indigno conferes? te solum bonitate non necessitate desiderat. Scriptum est, et ipso jubente tabulis insculpum lapideis, ut diligas eum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua (*Matth.* XXII). Dilige, et diligeris; prope est merces tua, in manibus porrigitur præmium: esto tu Dei, et erit tuus Deus tuus. Impar sane commercium pretium inæquale; sed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus (*Matth.* XXVII); intelligi voluit quanta fuerit in pretio quod pro eo datum est, et in eo quod ipse dedit pro mundo, dissimilitudo, cum ipse exiguo argento emptus et venditus, tanto pretio damnatos redimeret; ut dubium esse non possit quin pretii magnitudo superaret negotium; nec æquari posset damnum, quod omnino damnatio justa meruerat, obedientiæ Christi, quæ gravis usque ad mortem progressa est, et ultro solvit quod non debebat. His intellectis apostoli sicut filii prophetarum olim verum Eliam ascensurum sciebant, et horam illam præstolabantur gaudentes, nec jam anxiabantur parturientes, sed exorta lætitia parati erant prosequi recedentem, minime dubitantes quin et ipsi post modicum conversationis hujus, postquam de torrente passionis in via hac bibissent (*Psal.* CIX), exaltato capite et erecto, se ad cœlestia Dominum secuturos. Elevatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens (*Luc.* XXIV), non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis evectus est Christus; sed naturæ divinæ propria usus virtute, carnem cœlo intulit, et corpus glorificatum Patris conspectibus præsentavit. Non indiguit vectoribus angelis, qui offendicula tollentes e medio, ferrent eum in manibus; sed præcedentes et subsequentes applaudebant victori, et concinentes in jubilatione modulabantur canticum novum, et implebat cœlos consonantiæ illius harmonia, thronis et dominationibus parentibus filio juxta Patrem consessum, cherubin et seraphin pedes pacificos ambiantibus, radiantibus undique divinis claritatibus et splendoribus supercœlestibus; quos nec ardor perseverans consumit, nec turbinis alicujus afflatus exstinguit, nec interpolatio caliginis ullius abscondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cœlestis exercitus; et qui descendenti coram pastoribus Bethlehemitis decantaverunt in sublimi præconia, modo expressioribus conatibus, et intensioribus jubilis revertenti ad Patrem solemniora obsequia impendebant, et festivis affectibus venerabantur hominem supra se sublimatum, quem gloria et honore coronaverat Pater (*Psal.* VIII), ad dexteram suam collocatum, hoc dato ei privilegio singulari, ut in nomine ejus omne genu flecteretur, et super omne nomen, ejus nomen excellentius coleretur (*Philipp.* II). Quanta in ejus susceptione in cœlis jucunditas fuerit, nemo sufficit enarrare; rei hujus magnificentia omnem superat intellectum. Si linguis hominum vel angelorum quis eloquatur (*I Cor.* XIII), vel ad hoc cujuslibet elaboret acumen ingenii, ut definire velit quæ Patris in reditu Filii hilaritas fuerit; aut si forte illud sempiternum gaudium aliquod tunc admiserit incrementum, si stabilitatis æternæ se aliquo modo mutare possit immobilis magnitudo; scrutator ille majestatis opprimetur a gloria (*Prov.* XXV); et verendum est ne, dum vehementius exprimit verba quam oportet, sanguinem pro lacte emungat.

Attamen invisibilem Deum visibilem Filium recepisse ad dexteram suam manifestum est, et humilitatem carnis nostræ throno judiciario honoratam, paternæ complacuisse altitudini duo genera gentium civitati supernæ, de qua gloriosa dicta sunt (*Psal.* LXXXVI), deinceps assignari, et esse supra mansionarios homines et angelos, et beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Christi, hæc crucis et mortis stipendia, hic passionis labor promeruit, ut corpus humilitatis nostræ fieret corpori claritatis Christi conforme (*Philipp.* III), et mortale hoc indueret immortalitatem, et corruptibile incorruptionem (*I Cor.* XV); et fierent homines cum Christo in cœlestibus judices, qui cum eo judicia pertulerant malignorum, et exstiterant usque ad mortem tribulationum consortes. Hac die primum invecta est in cœlis hæc novitas inaudita; et gavisus est pater hæreditate amplificata, sobole multiplicata, promissionibus quas locutus fuerat in prophetis redditis et completis. Solum ad hæc quæ prædicta sunt, restat judicium, et examinationi ultimæ adhuc reservant antiqua oracula locum. De judicio quippe et angustia, Christo sublato, superest post misericordiæ tempora quæ ad finem festinant, ut justitiam comitetur judicium, et habeant singuli quod merentur, et honoretur honore dignus, et contemptor confundatur inglorius. Hoc et duo angeli Christo ascendente testati sunt, quia qui judicatis abibat, judex esset terribilis rediturus, et videret collecta in unum generalitas hominum quas foderat manus, quod terebraverat latus, faciem quam conspuerat, et prolata in medium inflexibili sententia, occurrentibus Salvatori electis, remaneant impii infinitis deputati tormentis. Quanta illud edictum sequentur lamenta, illius ultimæ tubæ clangor quam horribilis erit; continuus erit et superfluus illarum lacrymarum decursus, stridorem illum dentium flammæ inexstinguibiles agitabunt. Immortales miseri vivent, incendia, et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, et omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio; et cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo, acclamabunt exclusi.

Digitized by Google

Nullum ibi refrigerium, nullum remedium; semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillati, irregressibilis erit illa sententia, et immutabile judicium, et stabit damnationis hujus immobile constitutum. Exsultabunt sane sancti in gloria (*Psal.* CXLIX), videbunt Deum et gaudebunt, lætabuntur et delectabuntur et fruentur gloria, et in felicitate jucundabuntur æterna. Ibi non gustabunt quam suavis sit Deus, sed implebuntur et satiabuntur dulcedine mirifica; nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus præsens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius: perpetua sanitas, felix æternitas beatitudinis illis sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non ultra ulla exsurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus et pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula et ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV), et illius præsentia omnes animæ et corporis implebit appetitus, cessabuntque de cætero consummatis omnibus ministratorii angelicarum virtutum discursus; et impleta ordinataque omnino civitate Dei, nec innovabitur, nec mutabitur ultra fixæ et consummatæ beatitudinis status. Ei igitur, ante cujus tribunal stabimus (*Rom.* XIV), qui nunc vultui Dei apparet pro nobis (*Hebr.* IX), cui de nobis tanta cura fuit, ut pro nobis vellet nasci et mori, in præsenti quæsumus, ut cura sit curandi nos, et nobis auctoritatem et potestatem judicandi nosmetipsos et corrigendi concedat, ut in illo terribili judicio suo inter electos asciti et congregati, liberi a servitute et captivitate, cœlestibus civibus conjungamur, et fruamur bonis, quæ ipse diligentibus se repromisit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit (*I Cor.* II).

## XII.

### DE SANCTO SPIRITU.

Adesto, sancte Spiritus, et paraclesim tuam exspectantibus illabere cœlitus, sanctifica templum corporis nostri, et consecra inhabitaculum tuum, desiderantes te animas tua præsentia lætifica, dignam te habitatore domum compone, adorna thalamum tuum et quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum, sterne pavimenta pigmentis; niteat mansio tua carbunculis flammeis et gemmarum splendoribus; et omnium charismatum intrinsecus spirent odoramenta; affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, et abigens inde quidquid tabidum est, quidquid corruptelæ seminarium, stabile et perpetuum hoc facias gaudium nostrum, et creationis tuæ renovationem in decore immarcessibili solides in æternum. Interfuimus sacræ Verbi infantiæ, et puerperio Virginis obsecuti sumus, cum cœlesti militia gloriam decantavimus parvulo, confessi sumus omnipotentem quem in cunabulis vidimus vagientem. Circumcisionis celebravimus sacramenta, et truncato præputio voluptatum sanctimoniæ didicimus mancipari. Interfuimus baptismati Salvatoris, et audita Patris voce de cœlis, ad obediendum Christo traditi sumus, et instructi cœlitus quomodo Patrem et Filium dilectio jungat et uniat, ita ut in ipsis nominibus intimetur distinctio personarum, et naturæ unitas evidentissime innotescat. Sed et Spiritum sanctum in specie columbæ inter illa mysteria vidimus et intelleximus ex illa specie, gemitus pœnitentiæ et desideria contemplationis divinæ, ex simplicitate cordis et innocentia vitæ immaculatæ incessanter prodire, et neminem nisi suspiriis hujusmodi præcedentibus, et inspiratione divina monente, posse ad cœlestia aspirare, ut suspiratio, et inspiratio et aspiratio a sancto Spiritu et causam habeant, et effectum, et materiam et proventum. Secuti quoque sumus in eremum Dominum jejunantem, et repulsa potenter diaboli vidimus tentamenta. Interfuimus cœnæ, et de calice Domini bibimus; pedes lavimus; mortui sumus cum Christo, et ecce vivimus; prosequimur ascendentem, et præstolamur promissum nobis Spiritum sanctum, cujus unctio nos de omnibus doceat (*Joan.* II), qui invisibili magisterio nos doceat, et cœlestibus instruat disciplinis, qui carnales hebetet sensus, et conterat appetitus. Hic Spiritus sanctus ab ipso mundi initio aquis legitur superfusus (*Gen.* I), non materialibus aquis quasi vehiculo egens, quas potius ipse ferebat; et complectentibus firmamentum dabat congruum motum, et limitem præfinitum. Hujus sempiterna virtus et divinitas, cum in propria natura ab inquisitoribus mundi antiquis philosophis proprie investigari non posset, subtilissimis tamen intuiti sunt conjecturis compositionem mundi, compositis et distinctis elementorum affectibus præsentem omnibus animam affuisse, quæ secundum genus et ordinem singulorum vitam præberet et motum, et intransgressibiles figere metas, et stabilitatem assignaret et usum. Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum essentiam animam mundi philosophi vocaverunt, putantes cœlestia corpora, solem dico et lunam et stellas, ipsumque firmamentum, hujus animæ virtute moveri et regi, et aquas, et terram, et aerem hujus semine imprægnari. Qui si spiritum et dominum, et creatorem, et vivificatorem et nutritorem crederent omnium quæ sub ipso sunt, convenientem haberent ad fidem accessum. Sed abscondita est a sapientibus et prudentibus tantæ rei majestas; nec potuit humani fastus ingenii secretis interesse cœlestibus et penetrare ad superessentialis naturæ altitudinem et licet intelligerent quod vere esset creatrix et gubernatrix rerum divinitas, distinguere tamen nullo modo potuerunt quæ esset deitatis trinitas, vel quæ unitas, vel quæ personarum proprietas. Superferebatur quidem elemento purificatorio Spiritus sanctificator, jam tunc baptismi virtutem enuntians Jam tunc illa præfigurabantur tempora quibus arc Noe aquis invecta diluvii viri justi familiam conse vavit illæsam, abolita generatione adultera, qui filiabus hominum bestiali petulantia effrenes, in

Digitized by Google

prudenter se illis commiscuerant, nec humanos in flagitiis publicis verebantur aspectus. Arcam illam quæ typum gerebat Ecclesiæ Spiritus sanctus et tunc regebat et adhuc regit, extra quam quisquis perfidus evagatur, involutus fluctibus mergitur in profundum; et impossibile est eum vivere, cui non superfertur Spiritus vitæ, cujus vivificus calor animat omnia, et fovet et provehit et fecundat.

Hic Spiritus sanctus omnium viventium anima, ita largitate sua se omnibus abundanter infundit, ut habeant omnia rationabilia et irrationabilia secundum genus suum ex eo quod sunt, et quod in suo ordine suæ naturæ competentia agunt; non quod ipse sit substantialis anima singulis, sed in se singulariter manens, de plenitudine sua distributor magnificus, proprias efficientias singulis dividit et largitur; et quasi sol omnia calefaciens subjecta, omnia nutrit, et absque ulla sui diminutione integritatem suam de inexhausta abundantia, quod satis est et sufficit omnibus, commodat et impartit. Hic Spiritus Rubri maris aquas siccavit, et suspensis hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carnium et Ægypti pulmentariis populum ad spiritalem eremi libertatem eduxit incolumem; et alimoniis cœlestibus pavit, manna quasi rorem matutinum infundens graminibus, quod colligi jussum est ad mensuram. Aderat plena mensura per totam hebdomadam vacante Sabbati die; cui sexta præcedens dies consueti victus duplicans quantitatem, octavæ præfigurabat quietem, in qua absque labore et sollicitudine in deliciis epulabuntur electi et saturabuntur in terra sua duplicia possidentes, corporis et animæ felici perennitate, et perenni felicitate ditati. Hic est Spiritus sanctus, quem magi in Ægypto tertii signi ostensione convicti, cum sua defecisse præstigia faterentur, Dei digitum appellarunt, et antiquis philosophis ejus intimarunt præsentiam defuisse. Et licet de Patre et Filio aliqua sensissent Platonici, spiritus tamen tumidus et humani appetitor favoris sanctificationem intellectus divini mereri non potuit; et ubi ad profunditatem sacramentorum ventum est, omnis eorum caligavit subtilitas, nec potuit infidelitas sanctitudini propinquare. Hic digitus Dei, mundanæ judex et vindex perfidiæ, novi tempore testamenti potenter expellit dæmonia, nec laborat agendo, sed solo nutu perficit omnia: quod dicit, facit; quod jubet implet; secreta indicat, pandit occulta, revelat ignota, hebetat acutos, et perspicaces confutat. Hoc digito in lapideis tabulis lex primum conscripta, quinquagesimo die post egressum Israel de Ægypto in monte Sina Moysi est commendata; sed populus nequam et gens duræ cervicis, a quorum animis terror ille recesserat, quem mors ardens et flammea juga, et clangor buccinæ, et lampades coruscæ, et horrenda monitrua nuper incusserant, in apostasiam conversi, et de Moysi reditu desperantes, lege divinitus missa indigni judicati sunt, quia in oculis eorum Moyses frangens tabulas, tam verba quam instrumenta comminuit et delevit. Quin etiam sceleris ultione patrata, reversus in montem ad Dominum, quadraginta diebus jejunans et colloquens, tandem obtinuit ut ipse alias ex saxo ad instar priorum excideret tabulas, in quibus eamdem quæ in primis fuerat scripturam insculperet et formaret. Factumque est mirabili dispensatione superni judicii, ut lex quam sanctus scripserat Spiritus deleretur, et quam manus humana restituit in posterum teneretur. Quod ea ratione credi potest sic actum, ut populus prior secundum carnem ambulans et vivens, divinis colloquiis et spiritalibus mandatis ostenderetur indignus, nec posse mentes perfidas sancta percipere, nec intelligere sacramenta, quæ exemplarium tegmine velabantur. Porro Testamenti Novi quæ Christo evangelizante patuit veritas, verbo Christi prolata, indissolubilis permansit, et solida deinde stabilitatis perpetuæ auctoritate fulcita est, eo quod oblatam gratiam humiles susceperunt, et quod Filius inter pauperes spiritu invenit sibi domum in qua caput reclinaret; et merito reprobatos visibiles tabulæ invisibilis Dei indicant contemptores, et ampliori dignos honore incarnati Verbi credulos auditores, et devotos veneratores. Lex igitur a paschalis agni immolatione die quinquagesimo datur, et Pentecostes nomen tantæ rei solemnitas ex lege accepit, in ipso dierum numero sacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus septies revolutus, quinquagesimum efficit, addito monade; qui præsentis sæculi meta, et futuri initium, perpetuitatem sub octavæ nomine continens, sic præsentia terminat, ut nos ad perpetua introducat. Sacratus hic septenarius numerus a conditione mundi auctoritatem obtinuit, quoniam in sex diebus prima Dei opera patrata sunt, et septima consecrata quieti, quasi sancta et sanctificans solemnitate vacationis honorata, et Spiritui sanctificatori attitulata. Unde et cessanti a servilibus operibus populo jubetur ut diem Sabbati sanctificet, et spiritui rectitudinis, et sanctitudinis et fortitudinis ascribat, quod directe, quod honeste, quod viriliter incedit, quia totum ex ejus constat ducatu quod devii diriguntur, quod impii convertuntur, quod debiles confirmantur. Spiritus rectus, Spiritus sanctus, Spiritus principalis regit, componit, consummat et perficit quas inhabitat mentes, et corda quæ possidet; nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci quos docuerit, quos possederit, quos gladio potentissimæ virtutis accinxerit. Septenarius iste ex quaternario et ternario constans, cum in se propter prædictas causas honorabilis habeatur, habet ex partibus suis excellentiam maximam, quia artificis et materiæ videtur exprimere et distinguere primarias substantias, ut ternarius Creatorem propter trinitatem enuntiet, et quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum omnium causæ sunt et semina, sub hujus numeri brevitate concludat. Spiritus sanctus a Patre procedens, a Patre et



Digitized by Google

Filio, quaternario superfertur et conditor benignus opus suum amplectitur, et diligit quod plasmavit, et creaturam suam sanctus ipse sanctificat et consociat sibi, et charitatis nexu statuit et conquadrat. His aliisque secretioribus rationibus quas illustrium virorum subtiliora ingenia indagarunt, septenarius numerus in Scripturis sanctis sæpe sacramentales causas complectitur, et simplex et multiplicatus, necessarios ad intelligentiam divinorum operum parturit intellectus. In hebdomadibus apud Hebræos, dies septimus Sabbatum, id est *requies*, appellatur : qui numerus non tam in septimanis, sed etiam observatur in annis, et annorum hebdomada consummata, septimus annus requietionis est, et ipsi terræ Sabbatum imperatur, nec fas est cuiquam eo anno serere vel metere quidpiam, sed quæ sponte sive in terra, sive in vineis, vel in arboribus nascuntur, alimoniæ pauperum deputantur. Annorum quoque septimanæ apud Hebræos quinquagesimum annum faciunt, quem jubileum appellant, in quo decreto legis, ut supra dictum est, sit terræ remissio, et servorum libertas, et restitutio possessionum, quas catenus distractio alienaverat et cætera hujusmodi gratis ad hæreditatis ordinem revertuntur. De numero septenario cum multa dicta sint, plura supersunt quæ in lege et Evangelio præcipue commendantur. Quinquagesimus itaque annus perficit jubileum, quinquagesimus dies a Pascha Pentecosten, facit in quo vere Spiritu sancto infuso apostolis, ad hæreditatem cœlestem, a quo venundati sub peccato exsulabant, quos diabolo domino mendicitas et egestas subjecerat, revertuntur. Septem sacerdotalibus clangentibus tubis, Jericho corruit; septem petitionibus orandum Patrem Filius docuit. Remissio peccatorum duplicato septies septenario, Petro mandatur. Leprosus septimi diei inspectione a sacerdote judicatur, summi sacerdotis in septem diebus consecratio consummatur. Dominus Jesus Christus de septem panibus quinque millia hominum reficit; et justus quisque Deo laudes per diem septies dicit. Ipse Dominus Jesus ab Adam secundum generationes, quas Lucas commemorat (*Luc.* III), septuagesimus septimus invenitur, ut ultionem in Lamech septuagesies septies promulgatam (*Gen.* IV), veniens terminaret. Septem diebus in Pascha editur azyma; septem diebus mense septimo tabernaculorum solemnitas celebratur. In septem annis templum a Salomone construitur; septem brachiis et totidem luminibus candelabrum adornatur. Celebramus tam nos quam Judæi quinquagesimum diem, sed illi in typo; nos autem in veritate, non tam significamus quam agimus.

Pentecosten igitur celebrantes, commemoramus quæ olim sub Moyse in veteri testamento sunt acta, et quæ sub Christo facta sunt. Post cujus Ascensionem in cœlos Spiritus sanctus visibiliter super apostolos in linguis igneis apparuit (*Act.* II), et ad instar prioris sæculi universitatem fidelium unius labii esse voluit (*Gen.* XI), ut quorum erat cor unum et anima una, una esset et lingua, nec posset impedire intellectum credentium aliqua diversitas verborum; sed evangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eamdem efficientiam obtineret, ut Græcis et barbaris omnibusque gentibus verbum Evangelii sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus linguæ in qua nati erant idiomata resonarent. Aderant Medi et Elamitæ, Mesopotameni et Arabes. Hi omnes, dum Hebræa lingua apostoli prædicarent, locutio Judaica enuntiationis suæ articulos cursu consueto evolvens, nullo exponebatur interprete, sed verbo eorum per Spiritum sanctum inerat virtus et gratia, ut habitantes Pontum et Asiam suam esse dicerent linguam, quam audiebant, quasi primitivæ linguæ libertas, ad antiquitatis reversa originem, confusionis contumeliam evasisset. Nec tantum apostolis collata est hæc gratia, sed multitudini credentium idem Spiritus superfusus est, intus ardentibus, extra loquentibus; et complectebantur se dilectio et verbum, et de calore Spiritus sermo fervebat ignitus. Jam omni timore excluso obedire se Deo magis quam hominibus publice profitebantur (*Act.* V) et videbatur eis gloria, si pro Christo injuriam paterentur. Ad hunc modum olim Moysi jussum est ut in viros septuaginta, quos ipse presbyteros judicaret, de spiritu suo partiretur, ut in negotiis partem gererent sollicitudinis; quibus cum imposuisset Moyses manus, requievit in eis Spiritus sanctus; qui non Moysi ablatus est, quasi ipse sine spiritu remaneret, vel idem spiritus secaretur in partes; sed secundum mensuram donationis divinæ quæ erat in Moyse gratia singularis facta est multiplex et communis, et data est multis in eo potestas, quod prius solius Moysi disponebat auctoritas. Sic Eliæ spiritum duplicem recepit Eliseus, non quod in duas substantias idem spiritus sit divisus, et duos propheta sanctus habuerit Spiritus, sed quod populo Christiano, cujus typum Eliseus gerebat, accepto Spiritu sancto, data sit potestas in opere et sermone; et ascendentem Eliam, id est Christum, pio desiderio prosecutus, fide claruerit et intellectu, et vita, et signis et miraculis fulserit et exemplis. Hic sacrorum ordinum distributor, reges creat et principes, sacrat pontifices eligit sacerdotes. Hic sapientia Salomonem, intellectu Danielem, Joseph consilio, Samsonem fortitudine, Moysen scientia, David pietate, Job timore prosequitur, et sanctorum animas omnimodis fecundat virtutibus, in tantum affectus pacificos provehens, ut jam in cœlis nostra sit conversatio (*Phil.* III), diffusa in nobis charitate per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). Hic in pudicis mentibus sibi statuit mansionem. Hic humiles et libes habet domesticos, abominatur ærarios, falsarios detestatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, et Jeroboam vendentem sacerdotia et apostatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem a sanctorum consortio exhæredat, cujus detestabiles ausus ultrix ruina confundit et quas

Digitized by Google

Hic Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit, et per asinam redargutum, colliso ad parietem pede (*Num.* xx), vacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remisit confusum. Hic omnibus Ecclesiæ sacramentis interest, quæ ipse efficit et consummat. Hic peccata diluit, hic justificat impios et ad vitam revocat mortuos. Hic discordes pacificat, et vinculo dilectionis astringit et ligat. Hic nos cœlo invehit, et a mundi hujus vanitatibus avulsos superni regni constituit hæredes, cujus summa est felicitas, quod corpus istud spiritali effectu cum angelis conversabitur, nec ultra erit carnis et sanguinis aliquis appetitus, sed erit omnium plena sufficientia cognoscibilis Deus et inhabitator Spiritus sanctus.